MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80206-9

AUTHOR:

PRUDENTIUS

TITLE:

PSYCHOMACHIA: SIVE CERTAMEN VIRTUTUM...

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1897

Master Negative #

91-80206-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87P97 b. 348. Psychomachia ~~1897~~
TE97 Prudentius,~~Clemens, Aurelius~~.

Aurelii Prudentii Clementis Psychomachia, sive certamen virtutum et vitiorum edidit codicibus Casinensi 374 et Vaticano Reginensi 2078 in lucem prolatis, rerum et verborum copia explicata, illustravit Ioannes Bergman ... Upsaliae, typis descripserunt Almqvist & Wiksell, 1897.

xli, 78 p. 23 cm.

16512

Added title-page has note: quam disputationem auspiciis amplissim' philosophorum ordinis Upsaliensis pro mun ere professoris obtinendo editam... publice defendet Ioannes Bergman...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/23/91 INITIALS: KT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Psychomachia.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

PSYCHOMACHIA

RERUM ET VERBORUM COPIA EXPLICATA

CODICIBUS CASINENSI 374 ET VATICANO REGINENSI 2078 IN LUCEM PROLATIS,

ILLUSTRATA

QUAM DISPUTATIONEM

AUSPICIIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS UPSALIENSIS

PRO MUNERE PROFESSORIS OBTINENDO EDITAM

IN AUDITORIO IV UNIVERSITATIS

A. D. III KAL. OCT. HORA A. M. DECIMA

PUBLICE DEFENDET

IOANNES BERGMAN,

D:R PHIL., LATINAE LINGUAE LECTOR NORCOPIENSIS.

UPSALIAE

TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL SOC.

MDCCCXCVII

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

PSYCHOMACHIA

SIVE CERTAMEN VIRTUTUM ET VITIORUM.

EDIDIT,

CODICIBUS CASINENSI 374 ET VATICANO REGINENSI 2078 IN LUCEM PROLATIS,

RERUM ET VERBORUM COPIA EXPLICATA

ILLUSTRAVIT

IOANNES BERGMAN,
D:R PHIL., LATINAE LINGUAE LECTOR NORCOPIENSIS.

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCXCVII

PROLEGOMENA.

PROLEGOMENA.

Desideratur adhuc editio carminum Aurelii Prudentii Clementis, quae non solum textum quam verissimum constistuat et eius historiam apparatu, qui vocatur, critico ante oculos ponat, sed etiam scriptoris verba explicet, elocutionem illustret, argumenta carminum plenius disserat, rerum copiam apud hunc scriptorem ditissimam enarret et exponat atque, ut breviter dicam, commentarium plenum et explanatorium habeat.

Nam Albertus Dressel (Aurelii Prudentii Clementis Carmina, Lipsiae a. 1860) nihil fere nisi textus recensionem spectavit, neque editio nova, quam speramus post paucos annos Vindobonae proventuram esse, aliud aget. Habemus quidem librum copiosum, quem Romae a. 1788 edidit Faustinus Arevalus (iterum impr. in Patrol. Curs. Compl. ed. I. P. Migne) sed neque in verba et elocutionem inquisivit, neque via et ratione, qua nostris temporibus contenti esse possimus, ingressus est doctus ille, ut illa aetate, vir, neque omnino potuit in usum vocare tot et tantas res, quae nostro saeculo in archaelogia et historia antiquorum temporum investigatae sunt. Nova igitur editione, quae nostra aetate digna sit, re vera opus esse, nemo negabit.

Quam ob rem mihi proposui, ut Prudentium, per totum nostrum saeculum a nullo explicatum, penitus perscrutatus, commentario novo illustrarem. Ut vires tentarem, initio angustioribus finibus opus meum circumscripsi et Psychomachiam commentario in primis elocutionem poetae illustrante edendam elegi, sperans, si mihi contigisset, ut in hoc negotio doctorum virorum approbatione dignus viderer, me facultatem mox habiturum esse omnia poetae carmina pleniore apparatu adhibito recensendi et explicandi.

De textu recensendo.

Inter poetas latinos valde pauci sunt, quorum certior et melior textus traditione codicum constet, quam Prudentii. Maior carminum pars in codice antiquissimo Parisiensi n:o 8084 (olim Puteano) (saec. VI, ut opinantur, v. pag. VII) optime legitur. Et numerus codicum ceterorum permagnus est, quorum non pauci auctoritate aetatis et bonitatis multum valent. Bene de inquisitione, enumeratione, existimatione codicum meruit Dressel, quem supra memoravi.

Quod ad Psychomachiam attinet, compleri tamen aliquantum et corrigi potest apparatus, quem is adhibuit.

Codex Reginensis 2078.

Ipse in praefatione sua (pag. LX) confitetur se codicem Vaticanum vetustum et magni aestimandum, saec. IX oriundum, codicem scilicet Alexandrinum (vel Reginensem), numero 2078 signatum, frustra petivisse in bibliotheca Vaticana. De qua re verba eius haec sunt:

> "Codex. vat. alex., 2078, saec. IX, in folio parvo membran. *Aurelii Prud. Clem. Certamen virtutum contra vitia.* Sine praefatione incipit: *Christe graues hominum semper miserat*[1] *labores.* Desunt multa a versu: *Nascitur hinc inopina* ad versum: *Nouimus ancipites.* Desideratur etiam ultimus versus: *Aeternum* etc. Nihil tamen est lacerum, aut abrasum; fortasse exscriptus est ex alio codice imperfecto. Scribendi ratio: *adgreditur, sulphoreus, thoracha* sine diphthongis. Non pauca sunt menda. Hic est codex H." *Arevalus.* Codex iste Prudentii Psychomachiam non continet. Bibliothecae Vaticanae ministri, ex quo Arevalus scripsit, eum ablatum esse suspicabantur. Repetivi igitur varr. lectt., quales ille notavit (Arevalum dicit).

Post Dresselium hic codex prorsus perditus esse credebatur et ipsi "Bibliothecae Vaticanae ministri eum ablatum esse suspicabantur". Romae cum in fine anni 1895 versarer, operam dedi, ut hunc codicem antiquissimum, si fieri posset, eruerem et iterum in lucem proferrem. Constabat eum inter libros Christinae, reginae olim nostrae, fuisse; in illa igitur collectione diligenter quaesivi. Neque spes me fefellit. Codicem re vera inveni et contuli.

[1] Mendose. Exstat in codice re vera *miserate.*

Nihil restat dubitationis, quin idem sit, quem Arevalus legerat et Dressel frustra quaesivit. Nam non solum eodem numero (2078) signatus est, sed etiam omnia ea, quae Arevalus de eo notaverat accuratissime repraesentantur: deest praefatio, desunt versus 668—892 (iidem quos Arevalus verbis citaverat); desideratur denique ultimus versus. Haec in nullo alio codice simul desunt. Arevalus autem, qui et breviter et leviter codicem inspexerat, notare omisit etiam versus 634 et 906 desiderari; neque excerpta variantium lectionum plena et accurata confecit.

Sed de aetate recte iudicavit. Secundum formas litterarum saeculo nono exaratus est liber, quae aetas quantum valeat inde apparet, quod inter omnes codices Prudentii — quinquaginta fere cogniti sunt — non plures quam tres vel quatuor eiusdem aetatis sunt et *unus* certe antiquior.

Hunc unum Parisinum 8084 esse satis inter peritos constat. Nam quamquam de aetate huius pretiosissimae et inter omnes antiquorum scriptorum codices excellentissimae membranae variant sententiae[1], nemo tamen post octavum saeculum eam descendere credidit. Et me iudice certissima sunt in scripturae formis testimonia, quibus non extra fines saeculorum quarti, quinti, sexti delegari possit etiamsi subscriptionem ad annos 500—527 p. Chr. n. pertinentem non respicimus. Sed de hac re alio loco scripturus sum, de codicibus Prudentianis in universum disputans. Nunc ad aetatem Reginensis, cum ceteris comparatam, redeo.

Quae quo modo se habeat, hac tabula monstrabitur:

[1] Dressel octavo saeculo Parisinum attribuit (Praef. p. XXXVIII), Arevalus autem sexto (Prolegg. p. 74). Cui adsent. Robert (Mélanges Graux Paris 1884) et Ribbeck (Prolegg. in Verg. p. 231).

Saec. VI	Saec. IX	Saec. X	Saec. XI	Saec. XII	Saec. XIII	Saec. XIV	Saec. XV	Saec. XVI
Parisinus 8084 (Olim Puteanus)	Weissenburgensis	Vat. 3859	Oxoniensis	Palat. 242	Vat. 2766	Vat. 5356	Vat. Reg. 1828	Vallicellianus III
		Vat. 3860		Rottend. II	Vat. 2868	Vat. Ottob. 1193	Vat. Ottob. 3325	
	Bongarsianus?		Rottend. I		Vat. Reg. 58	Vat. Ottob. 1220	Vat. Urbin. 666	
	Widmannianus?	Vat. Reg. 321			Vat. Reg. 74	Vat. Ottob. 1297	Sessorianus B 289	
		»Codex Boheri« I			Vat. Reg. 1439	Vallicellianus I	Mantuanus II	
		»Codex Boheri« II			Vat. Reg. 1702	Vallicellianus II	Angelicus	
		Ratisbonensis			Vat. Reg. 1835	Mantuanus I	Bononiensis	
	Guelferbytanus	Thuanus			Vat. Ottob. 237	»Cod. Boheri« III	Laurentianus	
	Vat. 5821				Vat. Ottob. 1502			
					Sessorianus B 296			
					Dresselianus			
					Gothanus			
					Nomsianus			

Ceteri codices, quos in hanc seriem non inserui, aut perditi, aut incertae aetatis, recentioris tamen, sunt.

Videmus igitur unum solum inter omnes ante saeculum nonum exstitisse (Parisinum 8084) et unum alterum praeterea ipsius eius saeculi sine dubio esse (Weissenburgensem). Sed etiam si Bongarsianus et Widmannianus non minus quam Guelferbytanus et Vaticanus 5821 nono saeculo certe tribuendi essent, ad summum igitur *quinque* codices e toto *quinquaquinta* librorum numero aequales Reginensi nostro exstarent.

Sed non solum aetatis honore, etiam alia auctoritate nonnihil floret hic codex recuperatus.

Quamquam 'non pauca sunt menda' — Arevali verba refero — id vitium non tantum valet, ut pondus traditionis, quae in codice servata est, omnino tollat. Haec enim menda maxima ex parte peccata scripturae sunt, inscitiae librarii tribuenda. Nam hic, ut peritissimus artis pulchre pingendi et scribendi, ita latinitatis mire ignarus fuit. Ut exemplis defungar paucis, haec proferantur:

ungures exercet aenos (= ungues e. a.)
a duobis (= at uobis) *rabyum* (= rabiem)
uentossa (= ventosa) *piceam quear denti* (piceamque ardenti)
nempeoridiculum (= nempe hoc [vel *o*] ridiculum)
abdita uaris (= abdit avaris).

Talis librarius nullas, quae periculosae fuerint, coniecturas facere potuit — hoc eos, qui mendarum multitudine turbantur, bene consoletur. Scriptura nitidissima, nullis glossis impedita. Lectiones codicis plerumque cum optimis codicibus conspirant, quod exspectari poterat.

Codex long. 20, lat. 9 centim. est, optimae membranae, recentiore tempore ligamento praeditus. Continet ante Psychomachiam carmen *De diluuio mundi* (Infectum quendam etc.).

Sequitur collatio ad editionem Dresselii facta.

Fol. 58 averso in media fere pagina incipit:

AURELII PRUDENT CERTAM VIR TUTUM CONTRA VITIA.

(Deest Praefatio) 3 colomus (corr. in colimus) *utroque* (ino)[1] — 5 armataque at — 9 presidium (*e* semper pro *ae*; exceptis paucis locis

[1] *u* et *oque* perforata sunt transversis lineis.

qui notabuntur) — 17 potes[L] — dimicat — 18 comminus — 19 faties — conluctantia — 20 potenta[r] — 22 turbidacul tu — 23 Nuda umeros intonsa exestalacertos — 30 falerataque — vitis[t] (alterum *i* in rasura est) — 32 Depeodum[v] — 33 Elysos in morte oculus — 34 guturis — 35 suspiria[longa] fatigant — 38 Nunc — 39 ardentibus — uestiri er ostro — 40 Exim — 42 faces (*e* in rasura) — 43 ardent*es*[1] sulphore[v] — 48 Excusasque sacro — 50 egladio — 52 exalans — 56 famulas*q*ue (sed *q* abrasum est) — 60 Asirium — olofernis — 62 Gemmantem[v] — 64 Famorum — 65 caelitus (contra morem librarii, qui constanter *e* pro *ae* scribit[2]) — 66 Ut (sed in **A**t correctum) — 68 terrena in corpore — 69 capre[vt] — 83 fumus[i] · [. iam] non sumus — 87 lutulenta[3] — 88 Nec mea premariam[ost] — 91 Abdecaprelristi[vt] — abisso — 95 Sulphoreusque — vertet[x] — 99 Morte puditia[ti] — 100 Ablatt — rubenti — 102 doctec lavacro — 104 Hostilis iugulis (*s* eras.) — 105 nec — ru▭bigo — 110 tumultos[v] — 111 erigidis[t] — 114 suffusso — 115 Et[V] belli exortem — 119 securo[in] pectore — 120 quatur[i] petibi[est] gemuisse — 121 convici▭apinus — 122 nothos et certe[a] — 123 Defer*e*tur (*e* eras.) — 126 thoracha umeris — 127 intotortos — 129 penetrabil*es*[4] durans — 130 *sub*[5][ine] more furentis — 135 uentossa — 136 hastalia — 137 et secorus[eu] co — 138 dextram — 139 Eregitur — libra*b*ta (*b* eras.) — 140 Aerea (cfr v. 65) sed collo[c t] — 142 Durare sultantem — 143 calbe▭ — carsos[f] — 146 erepuisse — 148 inobs e*ru*bu[5][v] — 149

[1] *e* et *s* literae lineis perforatae sunt.

[2] Fortasse hic *cae*litus scriptum est, quia in codice ex quo descripsit librarius *coe*litus vidit.

[3] Dressel: *luculenta*, sine dubio quod in libro suo textum Obbarii sequens mendum huius typographicum corrigere omisit.

[4] Ultimum *e* linea longa, ad perpendiculum exacta, perforatum est.

[5] Literae *ub* et (148) *ru* lineis transversis percursae sunt.

monumentaque[i] — 150 loetum — 155 vi cimus inquid — 159 extingu▭ere uires (utrumque **u** in rasura) — 161 Interemit[i] — 163 commitata — 164 intertela — 165 Fronte securus[e] — an▭elus (in rasura videtur fuisse *g*) — 166 trici — 169 diueiubet[a] — 173 uulneferos[i] — perymbres — 178 superbia mentes[turmas] — 180 onera uerat armos — 181 Quos effulta iubis — 182 tumidos — 183 capud adcomularat[av][1] — 184 extractos[u] auderet[. g] — curros — 186 colecta — 192 obuertit erga negata — 195 faleratum — 204 nulla[o] ostentamine — 205 Aspicit — dictis effundit — 208 ueteris — 209 giramine — 212 nostro — 216 Nempeoridiculum[c] — 217 aplleximurartis[ct][v] — 218 menbra — 220 nobis sedebatur[DA] ·;·[2] — 222 R*u*bore (sed *u* in **o** correctum) — 223 paradis — 225 amplumtranfugit[s] — 228 hostis nunc surgit — 232 obtare iubet — 235 ullos[3] — 236 Tyrones — 239 pietatis[opus] sudatur inar mis — 244 albo ieiuniaq:[4] uultu — 249 toratur[e] — 254 Corripe demlaxis queuolat — 257 calida[l] forte — 258 subfoderat — 261 scr**o**bibus vi**o**laverat (**o** et **u** in rasura) — 265 Causa acies — 269 amfoveae — maligne — 272 inuolutur[t] |||||||[ac sub] — 273 (Totus hic versus in margine adscriptus est, sed quantum dignosci potest eiusdem librarii manu qui cetera exaravit) — 274 Ac uirtus — 275 obtritamonstri — 277 Eregit▭[5] et comi▭ — 279 gaudium — 281 Pro▭trahit (in rasura fuit *s*) ▭supinat — 282 capt▭orantis[u] — 285 Desingrande[e] — omne▭superbum — 288 sublimemi**na**ris (**na** in rasura) — 293 funali intorsit — 295 auarus — 298 possent

[1] Sine dubio *cu* esse debuit; librarius autem non intelligens *ar* exaravit.

[2] Interpunctionis signa alias omnino desunt.

[3] Literae *u* pars prior transversis lineis percursa est.

[4] Si q: postea additum est, ab eadem tamen manu factum videtur, qua cetera scripta sunt.

[5] In rasurae loco scriptum erat *ur*.

ludi $\overset{r}{c}$aparvi — 300 Subcubuit — 302 Seruatus — $\overset{T}{c}$era — 305 pre$\overset{s}{t}$ringens aere pinnis — 308 retardanter — 311 Luxoria — 312 oculis languida uoce — 317 fercula mortis — 318 atque-tepentia — 319 vinea et balsania — 321 $\overset{u\,i\,e}{tamen}$ illa pede sed curui in uecta — 322 minantum (**m** in rasura) — 323 En n**o**ua (**o** ex *a* correctum videtur) alis harundo — 324 Neruum pulsa — stridola lantia — 325 admento — minatus — 327 fudit — 328 balitus inlex — 331 rubore mulcet — 332 ceti uicti spicula poriunt — 333 eu — 335 dum librat telis crepitantia lora — 336 precios*o*[1] — 337 optutibus — 338 quem s?[2] mar$\overset{o}{\ }$tarum — 343 laxa $\overline{s}$carum — 344 Ingemuit amor iste nefas — 346 Iniuctamque — 348 pretullera — 353 Propudor asini(!)geris — 355 ferrigineo — 359 Cum bibat — relegamine — 360 frentis — 361 crisma — 362 sirmate — 364 inmortalem tonicam — 368 Dispuit — 369 ciathis — daubis imulto — 370 riga|tur — 372 mistica — 373 Eligui**t** (**t** in rasura) — 374 Angelicus necibus — 375 Inclusit auis quam nunc — 378 Luxoriae anmadidum — 381 memores (semel solum) — 385 homo et procerum — longe — 388 samuhel — 392 crimen inputat — 393 A duobis contra vinci et sub *cumbere uotum ē*[3] — 395 hoc tam dulce malum uouisse — 396 haut — 399 hEu[4] — 401 Sed qua$\overset{i}{\ }$ — nec sors lacrimabilis — 403 sobriaetas — 405 Luxories — spata — 407 Sic et fata — 408 quadriiiigis — 410 oppansi sed[4] — 412 fugam ferunt — 413 Nequiquam — 414 foedatumtunc — 416 suflamine cursum — 417 Addit se sobrietas — 418 Coniciens — 419 uexilli ferre q̃m fors — (422—424. Versus 422 et 424 et vox *lingua*, quae in v. 423 inest, minus fusco atramento insignes sunt —) — 423

[1] *o* perforatum ut *e* in v. 129.

[2] Quae litera vel literarum coniunctio inter *s* et *m* fuerit, non liquet.

[3] Ea versus pars, quae obliquo literarum ductu impressa est, minus fusco atramento, quam cetera, in codice scripta exstat.

[4] Virgulae sub *i s* et supra *d* alio atramento factae sunt, quam cetera.

423 reisolutis — 424 Delaniatā gulā frustris cū — 426 uorans euomit quas auserat offas — 429 Tristicia — 431 orrifico — asp$\overset{e}{e}$rat aust$\overset{v}{o}$ — 434 Cimbala proiciunt *bellū nā talibus armis*[1] — 435 uultinera sist$\overset{r}{o}$[2] — 437 faretramque — 438 ipsemetus sua — 440 trauntur — 442 dissonat turbat — 443 adtristis peredibus per ac uia frutecta — 444 Ira uoluptatem qmuis — 445 tollerare — formido periclis (*s* erasum videtur) — 447 cursib; aci en — 448 iace**nt**[3] $\overset{cr}{i}$nalis acus — $\overset{t}{u}$ite — 449 Fibula[4] flam[5] eol[5] um[6] strofium — 450 sobrieta tis — 451 Abstinet exuti similes dannata $\overset{que\ castis}{metalli}$ — 453 Conhibente — 455 Quiqquid — 456 Corriri puisse — 457 Orei$\overset{i}{n}$hans — 459 infercire (sed *e* in *a* correctum) — 460 Turpilucrum confundere fiscos — 462 dextyrapinas — 463 ungures — 464 famis — 466 mostri — 468 crassantia — 470 puluis — 471 Germanusui dit — 472 Exer$\overset{o}{a}$**r**$\overset{e}{q}$ue[7] caput — 473 (hic versus, omissus incuria, in summo margine exstat prima manu inscriptus) — 474 belli sub**sorte**[1] — 477 ait discordia — 479 su**o**s[1] famis — 480 per $\overset{pu}{p}$olos — 482 hu$\overset{n}{c}$ — 483 Effosis — notis — 485 ferro temptare — 491 uitarefocus — 492 speculatur — 496 damnisque gehennae — 498 sacerdotea lumini — 500 inplebat nolamcaflatu — 502 ratio formis potens — 503 obietasset — 509 reppelli — 519 incasta meae — 520 quic quid stix abdita uaris — 522 Quos[7] — 523 Quod miso et — 524 Quid fit — 525 furtuna — 526 christicol*a*s[8] rutilatuis fulua monoete — 527 Effies sordet — emblemate et omn*e*s[9] — 529 Qu*o*d[10] — iastidia — tryumphum — 530 exscariot — 532 Autqua quam — 535 Nominis — luitur$\overset{v}{i}$s — 536 hiericho — funes qua|tum — 538 mor*a*li[11] — 539 Subcubuit — 546 p*l*ena[12] — 548 fer-

[1] Cfr v. 393. [2] Literae **l**, **o**, **t** in rasura scriptae. [3] **nt** in rasura.
[4] Fuerat *m* [5] Fuerat *b* [6] Fuerat *que*
[7] **sorte**, **a**, **s r** in rasura stant. [8] sed *a* in **i** corr.
[9] Sed *e* in **i** rasura correctum. [10] *o* in **i** radendo correctum.
[11] *o* et *a* eras. [12] *l* eras.

tura arco — 549 aliquem martis concressibus inpo — 550 **Nil**[1] — doli suae — 552 Ex=uit — 553 spetiae uultuque et ueste — 554 $\overset{\text{me}}{\text{memorant}}$ — cordiae — 555 avaitur — 556 adhumbrate — 557 Huiuus serpetie — 565 secuntur — 566 impia erinis — 567[2] artat.[3] — 571 laetum versatile — 572 incertus — 576 nequit tam — 578 indubiis multoque et fasce — 582 luc ulos dicato fidem — 585 auaritiae — acsit — 587 vita fatis cat — 590 Ul*n*arum no*d*is[4] — 591 conpressa legantur — 594 adque — 597 adque illia — 599 recocta — 600 Materiam — et iam marsuppiaṃ — 601 $\overset{\text{e}}{\text{veridas}}$ — 605 milia coronam[5] — 611 acre cremedio criter artui — 612 nuture[6] — 613 peram tollito — 615 nec cibus — 616 redeuntes c=ecumsole — 624 Ne trepida=te homines vite dato et dator (*escae est* desunt) — 626 inuitabilis — 629 curae aemote — et= uis= — 630 Et scel=s embeste fidei fraus infitiatris — 631 f=)datis — 632 Ostibus alma habigit — discingitur[7] — 633 auulsis fibulat ilia — 634 (Totus hic versus deest) — 635 rabidum — gradum — 638 $\overset{\text{i}}{\text{dei}}$ — 639 Porpoream uideas[8] — 640 Agmina fasta[9] — 641 hylares — 643 $\overset{\text{i}}{\text{aperere}}$ — 644 Dat[8] — 645 Militiae — longae — 646 pas decus — 648 $\overset{\text{v}}{\text{Doceret}}$ hordinibus peditum st*i*pere cateruas[10] — 649 Est alia — ymnis — 651 Israhel rabyum ponti=[11] post terga=[12] inacis — 653 exstima —

[1] Fuerat *Nihil*, sed in **Nil** est corr.

[2] Eodem modo scriptus est hic versus, quo antea vv. 422 et 424.

[3] Punctum et alia interpunctionis signa in scriptura primae manus aliis locis desunt.

[4] *n* et *d* paulum eras.

[5] Apertum librarii mendum ex clausula antecedentis versus ortum.

[6] **r** in correctura.

[7] **c** in rasura; fuisse videtur *t*.

[8] **s**, **t** in rasura.

[9] Fuerat ante rasuram pro **s** *t*.

[10] Exit pagina 69 a. In ult. margine repetitur clausula ultimi versus hoc modo: *peditū stipere catuas*. Eiusmodi repetitiones clausularum alibi nusquam occurrunt.

[11] Fuerat *s*. [12] Fuerat *m*.

654 Mons=rueret — relapsu — 655 Gurgeteniliuolas — 657 precens operiret harenas — 658 resonant modolantia — 660 Omnipotentis opus liquidas inter fret (hic finis est versus) — 663 uitiorum genere pulset — 664 Mistica — 667 Nascitur hinc — lacrimabilis aevi — (668—892 desunt. Post versum 667 versus 893 sequitur, nulla a librario lacuna notata) — 894 ac uariato — 895 neindole[1]. — 902 cesisse — 906 (Totus hic versus deest) — 907 Aestuat et sordes arta ntnimum contra ille sereno[2] — 909 duplex abstantia — 910 et omnes — 911 conponat — 915 (Totus hic versus deest). Post v. 914 in media pagina 70 a novum opus incipit: *Incipit Ars Capri De orto grafia* (rubricatum)[4].

Codex Casinensis 374.

Post hunc librum inventum et collatum — neque aliud quidquam alicuius momenti in bibliotheca Vaticana vidi, quod Dressel non perspexerat — in monasterium antiquum illud Montis Casinensis profectus sum, ubi suspicabar codices Psychomachiae servari. Et re vera tres libros, qui carmina Prudentii continebant, inveni, adhuc a criticis non observatos. Quorum duo quidem deteriores sunt et paene nullius momenti[3], unus autem — omnia Prudentii opera ab initio continens (quamquam in exemplari desunt pauca) — bonae traditionis, non minoris, sed certe maioris momenti est quam is, de quo nuper dixi, Reginensis. Cui fere aequalis est, nono (vel fortasse decimo ineunte) saeculo exaratus.

Est codex Casinensis numero 374 signatus (olim 403), membranaceus.

Folia sunt longit. 23,5 centim. latit. 18 centim., crassitudo libri, ligneo involucro, membrana induto, adnumerato, 5 centimetrorum est.

[1] Apparet e *nc* (nunc) *indole* ortum esse hoc mendum.

[2] Ex anteced. versu exscriptum.

[3] Sunt hi duo Cod. Cas. 227, form. octav, saec. XIV, Psychomachiam continens pagg. 168—201, et Cod. Cas. 167, form. oct., saec. XIII, Dittochaeon servans.

[4] Incipit: *Haec uia quo ducit non ubi Cato discendit.*

Unaquaeque pagina 23 lineas habere solet; margo late patet. Octonis quaeque quaternio foliis constat.

Scriptura langobardica est. Scribendi ratio praeterea, quod ad literarum coniunctionem et alia eiusmodi attinet, collatione mea apparebit, nec non imagine, in fine libri inserenda.

Incipit: *Non putat esse deum* etc. (Apotheosis v. 188) folia quaedam, quae ante fuerant, abscissa sunt.

Fol. 21 averso rubris literis est: *Finit apotheoses Incipit amarthegenia lib. p* (= II?) *id est de origine peccatorum.*

Fratris ephebi fossor et pastor duo.

Fol. 44 adverso eodem modo sed magnis uncialibus: INCIPIT PSYCHOMACHIA LIB. III

(Desūnt quaedam; cfr collationem.)

Fol. 67 adv.: INCIP CONTRA ORATIONEM SIMACHI LIB PRIMUS. INCIPIT PRE PHATIO

Paulus preco dei qui fera gentium.

Fol. 81 av.: FINIT CONTRA SIMMA^{h}CUM. LIBER PRIMUS INCIPIT LIBER SECUNDUS INCIP PREPHA SIMON QUEM VOCITANT PETRUM (post haec minoribus literarum formis persqqu.)

Fol. 111 adv.: EXPLICIT AURILI · PRUDENTI · CLEMENTIS · ADVERSUS SYMMACHUM LIB II FELICITER EGO QVI SCRIPSI ||||||||| (nomen abrasum) PECCATOR

Pag. 220 incipit: *Agnoscat omne seculum* (suprascriptum est a manu rec. *De leone papa*).

Pag. 222 incipit (cum supra scripto rec.: *Ad Gregorium episcopum*):

Credo venusto calamo iucundo
literas mittis cupiente voto
blanda conscribens serie salutis
care Gregori.

Fol. 113 averso sine ulla praeparatione legitur: *Romanus Christi fortis assector dei* etc. (manu rec. scriptum exstat in margine: *Aurelius Prudentius de S. Rom: mart.*).

Fol. 130 adverso: *Passio sancti Laurentii leuite et martyris* (rubrum). *Antiqua fanorum parens* etc.

Fol. 136 averso: *Passio eulalie beatissime mar̄* (rubrum). *Germine nobilis eulalia* etc.

Fol. 139 adverso: *De loco in quo martyres passi sunt et nunc baptisterium est* (rubrum). *Electus christo locus est ubi corda sacrata* etc.

Fol. eodem: *Passio sci Cassiani forocorneliensis* (rubrum). *Sylla forum statuit cornelius. hanc itaque urbem* etc.

Fol. 147 adverso: *Passio scissime virginis agnes* (rubrum). *Agnes sepulcrum est romulea in domo* etc.

Fol. 150 adverso: *B Ym inhonore Scor dece^{m} et octo mar cesaraugus* (rubrum). *Bis novem noster populus sub uno* etc.

Fol. 153 adverso: *Ymnus matutinus* (rubrum). *Nox et tenebre et nubila* etc.

Eol. 154 averso: *Ymnus epiphanię* (rubrum). *Quicunque christum queritis* etc.

Fol. 156 adv. hanc adnotationem continet:

Terris celu iung \
Fons de terra nasc — itur
Lux in terris ori /

et cetera eiusmodi.

Fol. 157 adv.: *Incp ymni aurelii prudentii* (rubr.). *Per quinquennia iam decem* etc.

Fol. 157 av.: *Ymnus ad galli cantum dimetrum iambicum archilocicum acatalecton monocolon.*

Et iam continuo ordine sequuntur ceteri hymni, qui librum Cathemerinon conficiunt; inscriptiones et initia versuum carminum haec sunt:

Metrum alcmanium trimetrum ypercatalecton monocolon pentastrophon eptimemere dactylica constans tribus dactylis et semipede q esa eptimemere heroica; ym ante cibum (rubr.). *Omniparens pie verbigena* etc.

Ym post cibum; ode monocolon endecasyllabon metrum phaleucium constans spondeo dactylo et tribus trocheis (rubr.). *Pastis visceribus ciboque sumpto* etc.

Fol. 162 adv.: *Ymnus ad incensum lucernę metrum monocolon asclepiadeum tetrostrophon* (sic!) *constans pedibus quattuor spondeo et duobus choriambis et pyrrichio* (rubr.) (haec in medio folio 162 adv. cum carmine anteced. cohaerent; pars posterior paginae vacua est; initio consequentis pag. (fol. 162 av.) incipit hymnus: *Inventor rutili dux bone luminis* etc)

Fol. 165 av.: *Ym̄ ante somnum dimetrum iambicum anacreontium acatalecticum monocolon tetrastophon constans ex tribus iambis* (rubr.). *Ades pater supreme* etc.

Fol. 167 adv.: *Ym̄ ieiunantium*

Iambicum trimetrum acatalecticum constans ex tribus iambis; (rubr.) *O nazarene lux Bethlem* etc.

Fol. 172 adv.: *Ym̄ post ieiunium. Metrum saphicum endecasyllabum. constat pedib. quinq, trocheo spondeo dactylo et duobus trocheis. In quo tres uersus continui sunt quartus nō nocatur adonius constans ex dactū et spon̄* (rubr.). *XPē seruorum* etc.

Fol. 173 adv. (post finem hymni octavi in media pagina):

Ym omni hora
metrum trochaicum archi
lochium monocolon tristro
phon; quip pedes duplices
fertur locis imparibus;
hos pedes recipit, trocheum
tribrachim et nonnumquam
dactylum; locis uero paribus
cum his memorauimus
spondeum et anapestum
constat tetrametro
acatalectico ordinatus

Fol. 173 av.: *Da puer plectrum choreis ut canam fidelibus* (rubr.).

Fol. 176 adv.: *Ym circa exequias defunctorum . metrum anapesticum constans ex tribus anapestis et syllaba* (rubr.)

Deus (rubr.) *igne fons anima . rum*

(Puncta metrum significant? Sed deest signum inter *fons* et *animarum.*)

Fol. 178 adv.: Post finem huius hymni in fol. 177 av. exstat:

Finit.
Incp Lib Peristephanon

Pagina consequens (178 adv.) incipit:

Ym in honorem martyrum emeterii et chelidonii (rubr.)
Passio sc̄i uincenti
Beate martyr etc.

Fol. 186 av., in fine paginae: *Ym martyris fructuosi* (rubr.). Consequens pagina incipit: *Felix tarraco* etc.

Fol. 190 av.: *Ym in honorem quirini* (rubr.)
Insignem meriti uirum etc.

Fol. 191 av.: *Passio beati cypriani* (rubr.)
Punica terra tulit etc.

Fol. 193 av.: *Passio sanctorum apostolorum* (rubr.)
Plus solito coeunt ad gaudia etc.

Fol. 195 adv.: *Incip. deopusculis suis. Incolat patri deo Trocheum et trimetrum endecasyllabum* (rubr.)
Pius fidelis innocens pudicus.
(Ultimus versus: *mors hausit et mox reddidi* (sic))

Sequitur collatio eius partis quae ad Psychomachiam pertinet:

492 peculator — 494 interitu≡ neque *eni*[1] est — 504 alumnos[2] — 506 I≡munes (m[3]) — anim≡ (i[3]) — 507 Perstringens — 508 lues — 514 ferrea **quemquam**[2] — 515 **Formavit** natura[2] — ≡era — 516 **nro**[2] (= nostro) — 520 stix (y[3]) — 521 nouis — 527

[1] Literae *eni* transversis lineis perforatae sunt.
[2] Literae crassiore forma impressae in codice correctae stant pro literis erasis.
[3] Manu prima videtur insertum.

Effigies[2] — 529 fastigia — 532 Haut ignaru≡[1] — 536 hiericho 539 Subcubuit — 541 aurit — 553 ueste — 554 **cui uiuere**[2] — 560 **Obtegit**[2] anguineos ut ^{candida}[3] palla — 561 dir**o**que[2] — fur**o**re[2] — 562 rap**e**re[2] — 563 ia**ct**at[2] — 566 capit impia erynis[6] — 572 dubia**s**ub[2]

Sequuntur haec verba, rubrica scripta:

Elemosyna siue caritatis largitio

575 gradus**s**ed[2] — 580 prodig**a** — 582 di^{t}[3]data — 585 stupe**f**actis[2] — 598 aur*o*[6] — 613 Ingressurus iter pa^{i}≡ ≡ ≡ ≡ ≡ (Versus sequens, ultimus in pagina, erasus est; in rasura inscriptum: **ne tollito neue.** Sequentis paginae primus versus 614 est: de tunicae alterius gestamine providus esto, qui prius in rasura paginae antecedentis fuerat) — 614 **esto**[2] — 616 redeu**nt** **esce cum**[2] — 623 A*d*dubitas (sed pro *d* semirasum **n** inscriptum est, manu secunda, ut videtur; *t* supra occurrit, manu prima exaratum) — 626 in**muta**bilis[2] (ante videtur in*uicia*bilis fuisse) — 628 Subpeditare (Hic exit pagina 116: rubro colore pictum exstat in exeunte pagina: *Calcatis uictis triumphalis cœlo* (sic) *attollitur laus* Pag. 117 magna litera, ut in novi carminis initio, incipit: **H**is dictis etc.) — 630 placi*d*≡ (sed in *d* videtur **t** literam inscriptam esse) — 632 om*nis* — 635 priva**t**a (sed a manus secundae videtur esse pro ę (?) quod ante fuerat) — 642 arcem (Cum versu 643 exit pagina 117. Pag. 118 vacua est. In pagina 119 carmen continuatur cum v. 644 seqq.) — 644 concor**dia**[2] — 647 **bi**fida[2] — 649 **Ast** — ymnis — 652 calcar^{rat}≡ (incertum, an manu secunda illud *rat*) — 654 relabso — 655 dep≡renderet — 656 **sinu**[2] — 657 harenas — 658 tympana ^{p}[3]lectro — 659 sęcli≡ — 661 illisis[2] — 664 $^{ul\ cantica}$ carmina — 666 bifori≡

[1] Fuerat *m*.

[2] Vide pag. XIX, adnot. 2.

[3] Prima manu videtur insertum.

[4] In margine: *erinis i. e. furia*.

[5] *s* in verbo gradus evanuit vu leviter erasum est.

[6] *o* in i mutatum, fortasse a librario primo.

Hic rubro colore interscriptum sequitur:

amor fraterne dilectionis contra inuidiam

et versus 667 cum magna litera incipit: **N**ascitur sequ.) — 672 uici*i*s (*s* eras.) — 673 late**re**[2] — 674 **ferri**[2] subtegmine — 675 Ambire**nt**[2] sutis — 678 punct**o** — 680 tonicę — 686 iace**bat** (fuerat ante iaceb*ant*) — 689 maxim — 690 — 692 **ex**≡tima ≡**tactu**[2] — 704 Et deprensa **tremit** (ante fuisse videtur trem*unt*) — 708 cu≡**ia**tis — 711 et mod simplex — 712 defantasmate — 714 beliam$^{l(m.\ 2)}$[1]ihi domus et plaga mundus — 722 c*æ*no (pro *æ* **œ** postea inscriptum est m. 2) — 723 mand**e**t[2]
Post v. 725 rubro colore scriptum exstat:

Fides et concordia post acceptam uictoriam plebem allocuntur sacram.

V. 726 cum magna litera incipit: **C**ompositis seqq. — 727 tranquillę plebis ad unum — 728 *s*ensibus (*s* eras.) in tuta ualli statione locatis — 729 *E*xtruitur (*E* eras.) media castrorum sede tribunal — (Inter vv. 728 et 729 signum in margine est simili signo (+) in infima pagina respondens, ubi exstant minore literarum ductu et alia literae *c* forma (*c* sed in superiore textu semper Ɛ) exarati hi duo versus:

> Contigit ac stacione frui ualloque foueri
> Pacificossensus (sic!) et in ocia soluere curas)

739 conspicu**e**[2] — 742 conceptacul**a** **sese**[2] — 743 **tegat**[2] **tentoria**[2] — 744 carbasa≡**ne**quis[2] — 747 bell**a** **uocet**[2] — 751 **Al**loquio[2] — 751 pignora — 752 *Hoc habet* exstincta (sed perforatum est "hoc habet" linea; in margine, m. 1 scriptum: contigit) 753 sanctę (*ę* in **as** m. 1 correctum) circum*s*epserat urbes (*s* videtur in **r** correctum) — 755 ru≡re — 760 ^{sci} *f*issa[3] — 764 ıhs — 772 pa**ce**[2] — 777 ıhu — 778 Inpendisse — 781 cuncta —

[1] A manu sec., ut videtur.

[2] Vide pag. XIX, adnot. 2.

[3] Simili atramento, quo cetera, sunt literae *sci* scripta; *c* tamen non solitam habet formam (*c* exstat, non Ɛ).

778 tradit[di(m2?)] — 789 Pennatum[1] — 794 Fotinus — 795 Inmanes — 799 immo — 804 egregium — 806 inermi≡s (fuerat -*us*) — 807 solomon — 808 re*r*um[g(m. 1)] (*r* eras.) — 811 inlustrata quietu≡ (fuerat *m*) — 816 phalangas — 818 inlabsus — 820 comminus — 821 agite et tacitae≡[t]o≡[g]a candida (in rasuris videntur fuisse *h* et *c*; correxisse videtur m. 1).

Post v. 822 exstat rubrum hoc, quod sequitur:

Fides et concordia construunt templum quadrangulum et triangulum quod mystice ex subsequenti intellegitur lec
ti
o
n
e

Tum v. 823 maiorem literam initialem habet: Hęc ubi etc.)

826 harundo — 827 quattuor — 828 commissuridistantibus[f(m. 1)] (fuerat d*e*stant.) angulus inpar — 839 apostolici *bis* (eras.) fulgentsena[bis(m. 1)] — 841 electos — 842 qua*m* (*m* eras.) corpore — 843 anime — 854 chrisolithus — 856 D*e*stantes (sed *e* perforatum est linea, ut in *i* corrigeretur) *litora*[nitor] — uariabat — 857 Hinc calchedon — hyacinthi[a] — 860 Sardonychem — ametystina — 861 Sardium[u(o?)] — 869 Chrystalli — 873 uiribus arte (incertum utrum *r* an *s*) — 874 parabat — 879 reciso≡[v] — 884 forma≡[fuit] sceptris (*s* eras.) — 886 decorem

Post v. 887 rubrica scriptum:

Redd≡[un][2]tur hic grates communes omnium christo

[1] Vide pag. XIX, adnot. 2.
[2] *un* illud supra scriptum eadem rubrica eademque manu scriptum est.

896 ceruicibus — 898 **Turpibus**[1] — 905 **Effigiata**[1] — 906 corpore[carcere] — 910 adsi≡tet omnes.

Multa posteriorum temporum glossemata et adnotationes nullius momenti inter lineas exstant (Ex. 593 illa[·i· auaritia] — 507 ledit[·i· illos]).

E collatione duorum codicum meorum cum iis, quos in apparatum suum intulit Dressel (priorem nostrum, Vaticanum Reg. 2078 [= **h**] etiam ille habet, sed minus acute cognitum) apparet utrumque non solum antiquum, sed etiam inter optimos numerandum.

Gravissimus ad constituendam auctoritatem locus est versus 727 cum seqq., de quibus cfr quod alibi scripsi (Bergman, Prolegg. lex. Prud. pag. XXXI).

Dolendum est, quod in codice Reginensi hi versus desunt (magnae eius codicis lacunae causa).

Sed in Casinensi servati sunt. Parisinum illum codicem antiquissimum conferentes videmus rectam et ab interpolatione liberam huius loci lectionem hanc esse:

> Compositis igitur rerum morumque secundis
> in commune bonis tranquillae plebis ad unum
> sensibus in tuta valli statione locatis
> exstruitur media castrorum sede tribunal etc.

730. Ita codices **Put. 1 R** mg **E** (vet. lect. erasa) **Ang. Bon. α m** et Casinensis noster.

Interpolatione autem in plerisque hoc modo pro versu 728 additi sunt duo versus et correctus est v. 727:

> Compositis igitur rerum morumque secundis
> in commune bonis *postquam intra tuta morari*
> *contigit ac statione frui valloque foveri*
> *pacificos sensus et in otia solvere curas*
> exstruitur etc.

[1] Vide pag XIX, adnot. 2.

In quibusdam duae lectiones contaminatae sunt et altera alteri adposita exstat.

In Casinensi recta et antiqua lectio invenitur. Sed in margine secunda manus (quod e scriptura apparet, cfr supra) versus interpolatos *(contigit .... curas)* addidit, signo demonstrans eos inter *Sensibus* etc. et *Exstruitur* etc. inserendos esse.

Hoc exemplo satis apparet, codicem nostrum melioris esse traditionis quam maiorem ceterorum partem. Quod ex multis aliis locis confirmatur. Ac, ne longior fiam, uno altero exemplo contentus gravissimum illum inter omnes locos criticos, qui vocantur, addam, quo inspecto rerum Prudentianarum peritis nihil restare poterit dubitationis. Nam videmus Casinensem inter paucos eos codices esse, in quibus vera versuum Cath. 10, 9—16 lectio adhuc servata est. (Sunt hi codices Parisinus 8084, Rottendorphianus primus, Ambrosianus, Ratisbonensis, Vaticanus 3860, Vaticanus 348[1].) Sed hic locus demonstrat Casinensem non tamen ab interpolatione antiquissima prorsus liberum esse. Habet enim interpolatam quoque huius loci scripturam, quae post veram inserta est, eodem modo quo quatuor alii inter eos, quos nominavi (Ambrosianus, Ratisbonensis, Vaticani duo). Ad hos igitur propius accedit, quam ad Parisinum et Rottendorphianum. Plurimam codicum partem, vero textu carentem, *solos* versus interpolatos habere satis constat.

Sed de toto hoc codice Casinensi alio loco disputabo. His sat erit paucis demonstravisse, quantum valeat liber. Id tantum addam codicem Vaticanum 3267, unde fluxerunt Vaticani 2868, Reginenses 1439, 1835, 58, Viennensis, Ottobonianus 1502, Angelicus, a Casinensi non quidem exscriptum, sed per exscriptum quoddam ex eo exemplar, hic illic correctum, ab eo oriundum mihi videri.

Maioris momenti Casinensem esse, totius fere Prudentii traditorem, quam recuperatum a nobis Reginensem 2078 apparet. Sed ad Psychomachiam recensendam aeque valent. De

[1] Addi potest Casinensem non paucis aliis locis cum Parisino, Rottendorphiano et Ratisbonensi conspirare.

Reginensi, ante cognito et in gravissimis recte aestimato, quamquam negligenter collato, non multa addam. Melioris est traditionis, non raro Parisinum referens. Quamquam loco illo, unde certius de auctoritate iudicandum erat, caret, non audacis est suspicari eum in his versibus cum Parisino et Casinensi conspiraturum fuisse. Ceterum proxime ad Vaticanum 321, optimum saeculi X librum, accedit.

Cum textus Psyohomachiae omnino iam optime constitutus sit, magna emendandi materia e novis codicibus vix erat speranda. Neque tamen desunt loci, ubi cogitatione dignae sint propriae eorum lectiones, de qua re criticas in fine libri mei adnotationes velim inspicias.

De argumento Psychomachiae.

Psychomachia, sive Certamen virtutum contra vitia post praefationem de Abrahamo iambicis versibus expressam, invocationem Christi simili modo infert, quo antiqui poetae heroici carmina sua incipiebant, Musam vel deum quendam invocantes (vv. 1—20). Tum singulae virtutes contra singula vitia pugnantes inducuntur, ita ut primum par efficiant Fides et "veterum cultura deorum" (Idololatria) (vv. 21—39), secundum Pudicitia et Libido (vv. 40—108), tertium Patientia et Ira (vv. 109—177), quartum "mens humilis" (v. 199, 248, "regina humilis" v. 267) i. e. Humilitas (cum Spe) et Superbia (vv. 178—309), quintum Sobrietas et Luxuria (vv. 310—453), sextum Operatio (quae bona opera facit, in primis pauperes adiuvans) et Avaritia (vv. 454—639). Cum versu 640 altera carminis pars incipit. Prior pars Fidei i. e. christianismi pugnam contra vitia ethnica i. e. contra paganismum pugnatam continet; in hac posteriore interna christianismi praelia cum haeresibus sub persona Discordiae inductis proponuntur. Post victoriam de vitiis reportatam Concordia signum dat, ut in castra pedem referant. In agmine psallunt et Deum celebrant fideles catervae (vv. 640—666). Sed in ipso limine castrorum inopinata deprenduntur calamitate. Discordia, quae inter psallentes latuerat, Concordiam, quae una cum Fide dux

antecedit, clam vulnerat. Subito turbatio magna exoritur. Discordia agnoscitur et poenas pendere supplicio crudelissimo cogitur (vv. 667—725). Compositis deinde et tutis omnibus tribunal exstruunt in castris, quo Fides et Concordia adscendunt. Concordia prior orationem habet, qua discordiam et haereses graviter notat: tum Fides hortatur, ut aedificent templum Christo. Adgrediuntur alacri mente opus; fit aedes tale, quale illud novae Hierosolymae templum in Apocalypsi (cap. 21) describitur (vv. 799—787).

Ut primi invocationem, ita ultimi versus laudes et gratias Christo redditas continent (vv. 888—915).

Quo consilio scripta sit.

"Die Psychomachie dürfte das am wenigsten verstandene Werk des Dichters sein" scribit de consilio et ratione carminum Prudentianorum disserens Augustinus Rösler[1]. Constare inter omnes credideramus, Prudentium nihil nisi allegoriam, quae vocatur, de interiore animi pugna inter virtutes et vitia pugnata conscribere voluisse, neque quidquam clarius apparere quam id consilium videtur. Non ita Rösler. Is enim Psychomachiam cum Apotheosi et Hamartigenia in unum confert, copiose et docte demonstrare conatus hac quasi trilogia epicodidactica haeresin Priscillianismi, tempore poetae in Hispania florentem spectari. Partitionem vulgarem, qua secundum certamina singularum virtutum dividitur poema, ita ut prima post invocationem pars pugnam Fidei et Idololatriae, secunda pars pugnam Pudicitiae et Libidinis cet. continere dicatur, minoris momenti esse existimat. Ipse autem in duas partes carmen dividit, quarum prior (vv. 21—639) victoriam *Fidei;* posterior (vv. 640—915) victoriam *Concordiae* concelebret. Versus 709—797 facta quaedam legentibus nota, ad supplicia Priscillianistarum pertinentia spectare credit. In versibus 497 seqq. locus ille

[1] In libro suo copiosissimo et inter omnes de doctrina Prudentii libros praestantissimo, qui inscribitur "Der katholische Dichter Aurelius Prudentius Clemens, ein Beitrag zur Kirchen- und Dogmengeschichte des vierten und fünften Jahrhunderts", Freiburg i. B., Herder, 1886.

de avaritia sacerdotum eodem modo cum rebus, quae tempore erant poetae, cohaerere putat. (Rösler pag. 217.)

Mihi persuadere non potui virum doctissimum et de historia haeresium quarti et quinti saeculi non minus quam de Prudentio meritissimum in hac re recte iudicavisse. Mihi nullo modo probatum videtur necesse esse locos illos, quibus fultus opinionem novam confirmat, ita interpretemur. Concedere non dubito, poetam in enarratione certaminis Concordiae et Discordiae longius haerere, sed paulo minus fuse pugnas Superbiae cum Humilitate, Sobrietatis cum Luxuria, Operationis cum Avaritia describit. Mirandum Röslero videtur pugnam Fidei et Idololatriae tam leviter tactam esse ab eodem, qui splendidissime contra Idololatriam antiquae religionis in libris contra Symmachum disputat. Mirandum hoc erat — Röslerum refero — nisi illa Fidei et Idololatriae pugna in hoc carmine minoris esset momenti: hic haeresin (Discordiam) primo loco adgreditur poeta. Mihi brevis pugnae illius enarratio videtur aliter explicari posse: qui Psychomachiam perscrutatus erit, videbit, scriptorem consilium suum in scribendo mutasse vel ut rectius dicam, extendisse. Primum breviter adumbrare voluerat singulas pugnas, brevem librum scripturus, sed dum scribit, crescit, ut fieri solet, materia scriptoris; longius et fusius gradatim singula certamina enarrat: Fides-Idololatria versibus 18; Pudicitia-Libido vv. 68; Patientia-Ira vv. 68; Humilitas-Superbia vv. 131; Sobrietas-Luxuria vv. 143; Operatio-Avaritia vv. 174; Concordia-Discordia vv. 58 (667—725) vel, si rectius ita videtur, 155 (667—822).

Adde, quod Discordia non solum ceteris vitiis singulis adsociatur sed omnino contra paganismum opponitur (cfr infra de partitione) Itaque fusius describenda est quam singula, quae antecedunt, vitia.

Nullo modo negaverim haereses etiam in Psychomachia oppugnatas esse et praesertim in fine poematis gravissime contra discordiam disputari, sed toto libro et descriptionibus priorum vitiorum haeresin Priscillianistarum spectatam esse non intelligo. Huius sectae homines certe non soli vitiis corrupti erant; verba illa Sulpicii Severi (Chron. I, 23), quae

adfert Rösler, de vitiis et in primis de avaritia et desidia episcoporum testantia etiam in ecclesiae catholicae sacerdotes cadunt.

Credo igitur, ut adhuc vulgo creditum est, in Psychomachia Prudentii simpliciter de virtutibus et vitiis agi, haereses autem hic illic tangi, non tamen totum librum contra unam Priscillianismi haeresin scriptum esse. Prioris partis vitia (Idololatria, Libido, cett.) paganismum omnibus vitiis imbutum primo loco significant; Discordia, de qua in posteriore carminis parte disseritur, interiores inter christianos turbas (haereses, sectas) spectat. In *hac* partitione, ita ut nunc dixi, expressa, Röslerum libenter sequor.

De latinitate carminis.

Iniuste Dressel poetam nostrum in hoc carmine 'mediocritatem vix superare' lamentatur. Tempora Prudentii alia erant quam tempora aetatis Augusteae. Verborum novatorum non parvus numerus occurreret necesse erat; sed nihilo minus multo purior quam credi poterat fluit vena poetici sermonis Prudentii. Vergilium maxime sequitur, tum Ovidium et Statium. Ut demonstrarem, quanto essent in errore, qui barbaram putaverunt linguam Prudentii, hanc editionem ita ordinavi, ut locos similes aliorum poetarum legentibus proferrem. Qui commentarium meum perlegerit, facile concedet Prudentium, etiam si paucis locis minus pura videatur latinitas, tamen si totum carmen respicimus, optime et eleganter bonum aetatis antiquioris sermonem captasse et sáepius aequasse. Spero hac magna exemplorum copia, quam collegi, falsam illam de barbarie Prudentii opinionem refutari posse.

De latinitate Prudentii in universum videas, quae disputant Kantecki (De Aur. Prudentii Clementis genere dicendi, v. infra pag. XXXIII) et Lease (cuius de eadem re liber recens impr. est, v. infra ibid.),

De re metrica Krenkel commentationem edidit ('Epilegomena ad poëtas latinos posteriores' I; cfr ibid.).

Ipse 'Lexicon Prudentianum', omni copia verborum ornandum conficere coepi (cfr ibid.).

Psychomachiae apud posteros memoria.

Psychomachiae prima apud posteros commemoratio saeculo quinto exeunte ab Alcimo Avito fit, qui in opere suo 'De laude castitatis' inscripto haec dicit:

> Has virtutis opes haec sic solatia belli
> describens mentis varias cum corpore pugnas
> prudenti quondam cecinit Prudentius ore.

Apud Corrippum versus Psychomachiae 285 (Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum) adfertur (Laud. Justin. 2,40).

Aldhelmus, celeberrimus ille episcopus et poeta anglolatinus († a. 709) in posteriore parte carminis sui, quod inscribitur 'De laude virginum', certamen Virginitatis cum octo vitiis, Psychomachiam sine dubio imitans, canit.

In libro "De arte metrica" a Beda Venerabili († a. 735) scripto et scholastico usui apto haec leguntur:

> »Metrum iambicum senarium . . . . quo nobilissimus Hispaniarum scholasticus Aurelius Prudentius clemens scripsit prooemium Psychomachiae, i. e. libri, quem de virtutum vitiorumque pugna heroico carmine composuit.»

Psychomachiam in scholis monasteriorum lectam esse apparet ex Alcuini († a. 804) bibliotheca (cfr. 'De pontif. et sanctis Eborac'.); cfr epistolam Caroli Magni (Monum. Germ. histor. Leges I 52).

Rhabanus Maurus († a. 856) cum alibi Prudentii nomen adfert, tum in libro 'De sacr. ordin'. cap. 12 haec dicit:

> »Clemens Prudentius disertissimus atque christianissimus poëta . . . . . . pompam posuit in libro Psychomachiae.»

Walafridus Strabo († a. 849) in fine operis sui metrici 'De visionibus Wettini' Psychomachiam aperte imitatur. E libris antiquis monasterii Reichenauensis, ubi saeculo nono ineunte discipulus erat Strabo, scimus Prudentii carmina eo tempore inter libros scholasticos habita et lecta esse.

In monasterio celeberrimo Sangallensi doctissimus ille Iso Magister († a. 871) glossas suas in Psychomachiam et cetera Prudentii carmina composuit, ex quo apparet haec carmina tum in usu fuisse.

Apud discipulum eius, NOTKERUM BALBULUM († a. 912) haec invenimus (in 'Not. de illustribus viris' c. 7):

»non sunt tibi necessariae gentilium fabulae, sed habes in christianitate prudentissimum Prudentium . . . . dulcissime modulantem, virtutum et vitiorum inter se conflictus tropologica dulcedine suavissime proferentem, contra haereticos et paganos acerrime pugnantem«.

BRUNO († a. 965), frater Ottonis I, omnibus ecclesiis Saxoniae exemplaria Prudentii dono dedisse dicitur.

BONIFACIUS (ille sanctus) 'Aenigmata' scripsit, ubi virtutes et vitia sub specie personarum inducit.

Item HILDEGARDIS (monacha docta † a. 1179) eodem modo fabulam allegoricam scripsit, cui nomen est 'Ordo virtutum'.

Psychomachiam inter ea Prudentii carmina, quae maxime lectitabantur in medio aevo, fuisse, inde apparet, quod tantum codicum Psychomachiae numerum habemus, totius Prudentii autem paucos codices.

De quibus rebus plura apud RÖSLERUM l. l. pagg. 260 seqq. invenies.

Temporibus recentioribus non defuerunt imitationes Psychomachiae, quamquam saepius ab imitatorum imitatoribus factae sunt, qui fontem ipsum plerumque ignorabant.

Huc referenda est illa librorum religiosorum multitudo, in quibus allegorice virtutes et vitia et aliae res de anima vel in anima hominis pugnantes inducuntur ut fit apud IOANNEM BUNYANUM, Anglum, in libro notissimo, cui nomen anglicum est "Pilgrims Progress".

Neque desunt similitudines apud nostros. 'Hercules' ex. gr., poema STIERNHIELMII nostri, et argumento et sermonis forma plurimis locis Psychomachiam refert. Descriptio illa Voluptatis ('Fru Lusta') cum in genere toto, tum in singulis ἀνάμνησιν, ut Platonis verbo utar, locorum Prudentianorum, ubi Libido et Luxuria depinguntur, miram arguit et eorum imaginem non indignam proponit.

Qui saeculis recentioribus Prudentio et carminibus eius operam dederunt, in opere meo, quod inscribitur 'Prolegomena lexici Prudentiani' (Upsaliae 1894) omnes enumeratos et iudicatos invenies. Post editum hoc opus haec in lucem prolata sunt:

J. BERGMAN, Fornkristna hymner, dikter af Prudentius i svensk tolkning med literärhistorisk inledning, 2:dra upplagan, Göteborg, Wettergren & Kerber 1895.

J. BERGMAN, Neue Prudentiushandschriften von hohem Wert und Alter (Eranos, Acta philol. Suecana a. 1896 pag. 111 seqq.).

E. B .LEASE, cfr infra pag. XXXIII.

Index siglorum.

Prudentii carmina hoc modo indicantur:

Praef. (Praefatio), *Cath.* (= Cathemerinon), *Apoth.* (Apotheosis), *Ham.* (Hamartigenia), *Psych.* (Psychomachia), *(Contra) Symm.* (Contra Symmachum), *Perist.* (Peristephanon), *Ditt.* (Dittochaeon), *Epil.* (Epilogus).

Codicum signa sunt haec (= ceterorum codicum nomina quque hoc libro indicare non opus erat., apud DRESSELIUM inveniuntur).

Ambr. = Ambrosianus.
Ang. = Angelicus.
Bon. = Bononiensis.
Cas. = Casinensis 374 (noster).
Erf. = Erfurtensis.
Fuld. = Fuldensis.
Put. = Parisinus 8082 (Puteanus).
Rat. = Ratisbonensis.
A = Guelferbytanus.
E = Egmondanus.
P = Palatinus WEITZII.
R = Rottendorphianus I.
T = Thuanus.
W = Widmannianus.
c = Vaticanus 3267.
e = Vaticanus 2766.

f = Vaticanus 2868.
g = Vaticanus Reg. 1439.
h = Vaticanus Reg. 2078 (noster).
i = Vaticanus 328.
l = Vaticanus Reg. 1835.
m = Vaticanus 5821.
o = Vaticanus Reg. 58.
α = Vaticanus 321.
β = Ottobonianus 1502.
ϑ = Sessorianus B 296.

Editiones et libri impressi ita signantur:

NEBR. = Editio ANTONII NEBRISSENSIS Lucron. 1512.

SICH. (I, II, III) = Edd. IOANNIS SICHARDI, Basileae 1527, 1536, 1549.

GIS. (I, II) = Ed. VICT. GISELINI, Parisiis 1562 et Antverpiae 1566.

FABR. = Editio GEORGII FABRICII, Basileae 1564.

WEITZ. = Editio IOANNIS WEITZII, Hannoviae 1613.

HEINS. = Editio NICOLAI HEINSII, Amstelodami 1667.

CHAM. = Editio STEPHANI CHAMILLARDI, Parisiis 1687.

CELL. = Editio CHRISTOPHORI CELLARII, Halae 1703.

AREV. = Editio FAUSTINI AREVALI, Romae 1788 (Ed. alt. ap. MIGNE Patrol. Curs. Paris. 1847).

TEOL. = Editio IOANNIS TEOLII, Parmae 1788 (Ed. alt. Londini 1824).

OBB. = Editio THEODORI OBBARII, Tubingae 1845.

DRESS. = Editio ALBERTI DRESSELII, Lipsiae 1860.

BROCKH. = CL. BROCKHAUS, Prudentius in seiner Bedeutung für die Kirche seiner Zeit, Leipzig 1872.

RÖSLER = AUGUSTINUS RÖSLER, Der katholische Dichter Aurelius Prudentius Clemens, Freiburg i. B. 1886.

FAGUET = AEMILIUS FAGUET, De Aurelii Prudentii Clementis carminibus lyricis, Burdigalae 1883.

SIXT Philol. = G. SIXT, Des Prudentius Abhäng. v. Seneca u. Lucan. Philol. LI (1892), 3.

SIXT, Lyr. = G. SIXT, Die lyrischen Gedichte des Prudentius, Stuttgart (Progr.) 1889.

SIXT, Ditt. = G. SIXT, Des Prudentius' Buch Dittochaeon (Korresp. Bl. Württ. Gel. u. Realsch.) Tübingen 1890 (sect. 9—10).

BARTH = CASPAR BARTH, Advers. Commentariorum libb. LX, Francoperti 1628.

BERGMAN, Prol. = J. BERGMAN, Prolegomena lexici Prudentiani, Upsaliae 1894.

BERGMAN, Quaest. = J. BERGMAN, Quaestiones Prudentianae (Nord. Tidsskr. f. Filol.) København 1894.

BERGMAN, Hymn. = J. BERGMAN, Fornkristna hymner, 2:dra uppl.; cfr supra pag. XXXI.

BERGMAN, Prud. Hss. = J. BERGMAN, Neue Prudentiushandschriften; cfr supra pag.

KANTECKI = A. E. KANTECKI, De Aurelii Prudentii genere dicendi quaestiones Monast. 1874.

LEASE = E. B. LEASE, A. syntactic, stylistic and metrical study of Prudentius, Baltimore 1895.

BREIDT = H. BREIDT, De Aur. Prud. Clem. Horatii imitatore. Leipz. 1882.

MANIT. = M. MANITIUS, zu Iuvencus und Prudentius (Rhein. Mus. XLV, 3).

KRENKEL = F. KRENKEL, De Aurelii Prudenti re metrica, Rudolstadii 1884.

Ceterorum signorum explicatio non necessaria videtur.

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

PSYCHOMACHIA

SIVE

CERTAMEN VIRTUTUM ET VITIORUM

PSYCHOMACHIAE PRAEFATIO.

Senex fidelis prima credendi via
Abram, beati seminis serus pater,
adiecta cuius nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham Deo,
senile pignus qui dicavit victimae
docens, ad aram cum litare quis velit,
quod dulce cordi, quod pium, quod unicum
Deo libenter offerendum credito,
pugnare nosmet cum profanis gentibus

1. Deest in codice nostro Reginensi haec Praefatio. Facile credi potest post tempora Prudentii ab alio inserta esse. Sed cum in Puteano, codice antiquissimo et optimo non desit, et cum genus dicendi a Prudentii more nullo modo abhorreat, ipsius opus esse puto. Adde quod testatur *Beda,* antiquus admodum testis, prooemium cuius unum versum adfert, Prudentianum esse (cfr Prolegg. pag. XXIX).

fidelis sermone scriptorum christianorum saepe eum significat, qui fidem i. e. religionem christianam (vel, ante eam, Iudaicam) profitetur. Cfr Cath. 5, 4; 10, 161; cfr etiam 9, 26.

prima credendi via, qui primus credidit et viam credentibus monstravit; de *via* hoc personali sensu usurpata cfr: ego sum via et veritas et vita Ioh. 14, 6 (Vers. vulg.)

2. *beati,* aut = numerosi, abundantis (cfr: beatissima rerum verborumque copia Quintil. 10, 1, 109), aut = sancti (Christum spectans). Priorem illum sensum verisimiliorem credo; cfr Mos. 1, 15, 5 de numeroso, "ut sidera sunt", semine Abrahami.

serus pater, sero pater factus. Cfr: serus in caelum redeas diuque | laetus intersis populo Quirini Hor. Carm. 1, 2, 45.

5. *dicavit victimae,* constituit ut victima fieret. Cfr: Ptisanae laudibus volumen dicavit Hippocrates Plin. 18, 15, 1; annos dicare vitae caelibi Senec. Hippol. 231.

7. *pium,* nam ut Abraham filium suum amabat ('dulce cordi'), ita Isaac ipse patrem redamabat, 'pius' erat.

8. *credito, in* quem crediderit.

9. *nosmet,* etiam nos, nos ipsos; cfr infra Psych. v. 86.

suasit suumque suasor exemplum dedit,
nec ante prolem coniugalem gignere
Deo placentem, matre Virtute editam,
quam strage multa bellicosus spiritus
portenta cordis servientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis urbibus
Sodomae et Gomorrhae, quas fovebat advena,
pollens honore patruelis gloriae.
Abram sinistris excitatus nuntiis
audit propinquum sorte captum bellica
servire duris barbarorum vinculis:
armat trecentos terque senos vernulas,
pergant ut hostis terga euntis caedere,
quem gaza dives ac triumphus nobilis
captis tenebant impeditum copiis.
Quin ipse ferrum stringit et plenus Deo
reges superbos mole praedarum graves
pellit fugatos, sauciatos proterit,

10. *suasit* cum acc. et inf.; rarum; cfr: me pietas matris potius commodum suadet sequi Ter. Hecyr. 3, 5, 31; Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri | suasi Verg. Aen. 12, 813.

14. *portenta*. Cfr Psych. 20.

16. *immorantem*, habitantem, versantem; cfr: ut saturae studiosius nidis immorentur (sc. gallinae incubantes) Colum. 8, 5.

criminosis. Criminosus vulgo 'crimina inferens', 'maledicus' est; rara est passiva haec significatio 'crimen habens', 'scelestus'; cfr: impugnando turpia, resecando criminosa Valerian. Homil. 1 n. 3.

17. *fovebat*. Servius ad Verg. Aen. 4, 193 hanc notam addit: *veteres 'fovere' pro diu incolere et inhabitare dixerunt.* Cfr: coluber fovit humum Verg. G. 3, 420; castra fovere Aen. 9, 36.

18. *pollens*. Cfr: antiquitatis gloria pollebant Tac. Ann. 4, 55.

patruelis i. e. Abrahami.

19. *sinistris — — nuntiis*, malis, adversa narrantibus nuntiis; cfr: sinistram . . . . famam Tac. Ann. 6, 32; sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat Hist. 2, 93.

20. *sorte — — bellica*. Cfr: sorte duelli Psych. 21; sortem bellumque gerere Manil. 3, 303.

22. *vernulas*, servos domi natos; de hac re vide Mos. 1, 14, 14.

23. *pergant* (contendant) — — *caedere*. Cfr: ad hostem ducere pergit Liv. 32, 6;

24. *nobilis*, de nobili homine reportatus.

26. *plenus Deo*, divino instinctu; cfr Psych. 900.

28. *proterit*. Cfr: Marte Poeos proteret altero Hor. Carm. 3, 5, 34.

frangit catenas et rapinam liberat:
aurum, puellas, parvulos, monilia,
greges equarum, vasa, vestem, buculas.
Loth ipse ruptis expeditus nexibus
attrita bacis colla liber erigit.
Abram triumphi dissipator hostici
redit recepta prole fratris inclitus,
ne quam fidelis sanguinis prosapiam
vis pessimorum possideret principum.
Adhuc recentem caede de tanta virum
donat sacerdos ferculis caelestibus;
Dei sacerdos, rex et idem praepotens,
[origo cuius fonte inenarrabili
secreta nullum prodit auctorem sui][1]
Melchisedech, qua stirpe, quis maioribus
ignotus, uni cognitus tantum Deo.
Mox et triformis angelorum trinitas
senis revisit hospitis mapalia.

[1] Desunt in **Put.** vv. 41, 42.

30. *monilia*. Cfr ad Psych. v. 449.

31. *vestem*, collectivo sensu; cfr: maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex Cic. Phil. 2, 27 (66).

buculas, iuvencas; cfr: aut bucula caelum | suspiciens patulis captavit naribus auras Verg. G. 1, 375.

33. *bacis*, catenarum anulis. Significatio haec unica et Prudentiana est, sine exemplis apud alios scriptores; cfr: carcer illigata duris | colla bacis impedit Perist. 1, 46.

34. *dissipator triumphi*, i. e. dissipator praedae, quam triumpho agebant hostes. De Prudentio voces in *-tor* amante (cfr supra *suasor*) v. Psych. v. 11.

36. *fidelis*. Cfr supra ad v. 1.

prosapiam. prolem. Iam Cicero hoc verbum inter obsoleta numerat; cfr: Iovem atque Iunonem . . . . et eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam Cic. Tim. 11. Cfr Cath. 11, 89. (Saepe de veteribus gentibus vel hominibus).

prosapiam — — pessimorum possideret principum. Cfr de similitudine sonorum quae infra dicentur, ad Psych. v. 13.

38. *recentem de caede*. Cfr: Poenum . . . . recentem ab excidio opulentissimae urbis Iberum transire Liv. 21, 16.

39. *ferculis*, epulis. Cfr Psych. 317 et Cath. 10, 74.

41. *inenarrabili*. Cfr: flumina, quorum inenarrabilis natura est Senec. Qnaest. nat. 3, 22.

46. *mapalia* si Sallustio (Jug. 21) et post eum Festo, Plinio (Nat. hist. 5, 3) Hieronymo (Prol. Amos.) credimus, Africana, Numidica vel rectius fortasse Punica vox est; etiam

Et iam vietam Sara in alvum fertilis
munus iuventae mater exsanguis stupet,
haerede gaudens et cachinni paenitens.
Haec ad figuram praenotata est linea,
quam nostra recto vita resculpat pede:
vigilandum in armis pectorum fidelium
omnemque nostri portionem corporis,
quae capta foedae serviat libidini,
domi coactis liberandam viribus.
Nos esse large vernularum divites
si, quid trecenti bis novenis additis
possint, figura noverimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est,
†parente natus alto et ineffabili [1]

[1] Parente natus alto et ineffabali **Put. B P** (mg) **W Erf. Rat. c e l m o r w β ϑ**
Parente natus alta et ineffabili **f**
Parente natus ab alto et ineffabili **∂**
Parente inenarrabili atque alto satus **Fuld.**
Parente inenarrabili atque aũt natus **1 g** (alio natus 2 g)
Parente inenarrabili atque uno satus **A P R Aug** *α*

aliarum semiticarum gentium communis fuisse videtur quare de casis Punicis, Iudaicis, Syriis interdum dicitur.

47. *in alvum* sc. intravisse vel venisse.

48. *exsanguis*, anili macie et sanguinis inopia exsiccata, non, ut iuvenilis vel matura aetas, plena sanguinis et virium.

49. *cachinni.* Vide Mos. 1, 18, 12.

paenitens, personaliter dictum; cfr: Athenienses sicuti primi defecerant, ita primi paenitere coeperunt Iustin. 11, 3.

50. *ad figuram*, ad exemplum, ut documento sit. Inusitata expressio.

praenotata. Cfr: locum signo aliquo praenotare Pallad. 8, 8; prophetae duos adventus Christi praenotaverunt Tertull. Adv. Iud. 14.

51. *recto — pede.* Cfr: (tauros) ne qua forent pedibus vestigia rectis | cauda in speluncam tractos Verg. Aen. 8, 209.

resculpat, iterum lineam eandem ducat; verbum apud antiquiores valde inusitatum; cfr: primus populus primi hominis resculpserat (= iterum commiserat) crimen Tertull. Adv. Psych. 5.

53. *portionem*, Vox *portio* praesertim apud posteriores pro *parte* usurpatur: cfr: provecta est animae portio magna meae Rutil. Itin. 1, 426; animae nostrae portio maior eras Sidon. Carm. 21, Cfr Prud. Cath. 812.

55. *domi coactis vernulas* illud (v. 22) figurate spectat, ut etiam sequentibus apparet.

58. *noverimus.* Cfr KRENKEL, l. l.

60. De varia huius versus lec-

cibum beatis offerens victoribus,
parvam pudici cordis intrabit casam,
monstrans honorem trinitatis hospitae.
Animam deinde spiritus complexibus,
pie maritam, prolis expertem diu,
faciet perenni fertilem de semine:
tunc sera dotem possidens puerpera
haerede digno patris implebit domum.

tione vide BERGMAN Prolegg. lexici Prudentiani pag. XXXI; cfr etiam adn. crit.

65. *prolis expertem.* Cfr: thalami expertem . . . . vitam Verg. Aen. 4, 550; nuptiarum expers Hor. Carm. 3, 11, 11.

67. *sera — — puerpera.* Cfr supra v. 2 *(serus pater)*.

PSYCHOMACHIA

Christe, graves hominum semper miserate labores,
qui patria virtute cluis propriaque, sed una —
unum namque deum colimus de nomine utroque
non tamen et solum, quia tu deus ex patre, Christe —
dissere, rex noster, quo milite pellere culpas
mens armata queat nostri de pectoris antro:

Invocatio (vv. 1—20).

1—5. Invocatio, qualem poetae heroici habere solent, sed christiana; cfr: Musa, mihi causas memora, quo numine laeso cet. (Verg. Aen. 1, 8). — Christe . . . dissere . . . quo milite cet. Ipsa haec verba, quibus incipit Prudentius, Vergilii sunt: Phoebe graves Troiae semper miserate labores Aen. 6, 56.

2—3. Contra sectas, quae tempore poetae cum alibi, tum in Hispania florebant, trinitatis dogma adfirmat. Nulla quidem 'spiritus sancti' mentio fit, ea causa quod a nomine Christi incipitur et omnino de Christo agitur; sed Prudentium trinitatis catholicae defensorem fuisse satis apparet ex Cath. 6, 4—5 et ex multis aliis locis. (Librarius quidam sciolus pro *utroque* scripsit *trino,* quod in multis codicibus occurrit).

patria virtute cluis, clarus es, cfr: ut cluerent patribus ingenuis Auson. Profess. 21; clueas gloria Plaut. Capt. 3, 5, 31; oratione cluentes Apul., De deo Socr. 4.

4. *deus ex patre.* Cfr: deus ex Deo perennis | deus ex utroque missus Cath. 6, 7—8; ex patre Christus Perist. 10, 600.

5—9. Observanda est subtilis poetae dicendi ratio et disserendi ordo: primum *pellendae* sunt de pectore culpae (vv. 5—6), tum *libertas* (immunitas culparum, innocentia, quae post expulsa vitia venit) *tuenda* (v. 9); postremo, si, impare hoc pro tuenda libertate proelio hostes in pectus intrare conati sunt *obsistendum* (v. 11).

dissere. Cfr: tibi de summa caeli ratione deumque | disserere incipiam et rerum primordia pandam Lucr. 1, 50.

rex. Cfr infra vv. 97, 382, 850. Cath. 11, 78; 12, 187, Apoth. 634; Perist. 10, 596, 1138.

6—8. *mens — — pectoris; turbatis sensibus; animam morborum rixa.* Ex his versibus, qui totam Psychomachiae rationem et materiam indicant, apparet, interiorem animi pugnam, quam virtutes contra vitia pugnant, hoc carmine re vera *primo loco spectari,* non

exoritur quotiens turbatis sensibus intus
seditio atque animam morborum rixa fatigat,
quod tunc praesidium pro libertate tuenda,
quaeve acies furiis inter praecordia mixtis
obsistat meliore manu. Nec enim, bone ductor,

exteriorem ecclesiae contra haereses et praecipue contra vitia Priscillianistarum, ut vult Rösler (cfr Prolegomena). Sed in posteriore carminis parte, cum de Discordia canitur, et interdum in priore, ubi occasio data est, hanc externam ecclesiae pugnam *attingit* poeta.

6. *pectoris antro.* Cfr: antra palati Sidon. Ep. 9, 13, 2; antra narium 1, 2.

7. *sensibus* sc. internis (*sensus* apud Prudentium saepius imaginationem spectat; cfr Cath. 1, 86; 6, 30; 10, 36). Cfr: ne capiamur iis, quae ad sensum intimum penetrant Lact. Div. Inst. 6, 21.

turbatis — intus. Cfr: ita ridicula anditu, iteratu ea sunt quae ego intus turbavi Plaut. Cas. 5, 2, 6.

8. *animam. Anima* proprie eam hominis partem, quae sentit et intelligit, quae etiam cum ceteris animalibus communis est, *animus* autem, vel spiritus, superiorem, caelestem, immortalem partem spectat. Sed interdum promiscue usurpantur.

morborum. Cfr: perturbationes animi quae Graeci πάθη appellant: ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo; *sed in consuetudinem nostram non caderet* (temporibus Prudentia consuetudo paulum mutata videtur): nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant; nos recte, ut opinor perturbationes dixerimus: morbos autem non satis usitate. Cic. Tusc. 3, 4; morbi sunt inveterata vitia et dura, ut avaritia, ut ambitio nimia etc. Sen. Ep. 75; turpium morbo virorum Hor. Carm. I, 37, 9, 10 (morbus, Passion, Leidenschaft).

rixa. Virtutes et vitia singulae contra singula pugnantes inferuntur. Turba est multitudinis hominum turbatio et coetus, rixa duorum Labeo ap. Ulp. Dig. 47, 8, 4. Centaurea cum Lapithis rixa super mero, debellata Hor. Carm. 1, 18, 8 (ad singulorum certamina spectat; cfr artificum opera singulos Centauros cum singulis Lapithis luctantes exprimentia).

9. *pro libertate tuenda.* Cfr: Pro ope ferenda sociis pergit etc. Livius 23, 28.

10. *furiis.* Tres affectus, vel ut ita dicam, tres furiae sunt, quae in animis hominum tantas perturbationes ciunt ... ira, quae vindictam cupit avaritia, quae desiderat opes, libido, quae appetit voluptates Lact. Epit. 4, 1. Propterea poetae tres furias esse dixerunt, quae mentes hominum exagitent: ira ... cupiditas ... libido ... Lact. Div. Inst. 6, 19.

praecordia. Maior in praecordiis dolor saevit Petron. Sat. 17.

mixtis (furiis). Cfr: miscendis seditionibus Tac. Hist. 4, 68.

11. *bone.* Cfr: O crucifer bone Cath. 3, 1; dux bone 5, 1.

ductor. Cfr Cic. Tusc. 1, 37 (89). Verg. Aen. 6,334. Amat Prudentius voces in *-tor* exeuntes; cfr rector Cath. 10, 6 nugator Cath. 2, 32; negator Cath. 1, 57; Apoth. 179, 673, 771; luctator Cath. 2, 74.

magnarum virtutum inopes nervisque carentes
christicolas vitiis populantibus exposuisti.
Ipse salutiferas obsesso in corpore turmas
depugnare iubes, ipse excellentibus armas
artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
oppugnanda potens tibi dimicet et tibi vincat.
Vincendi praesens ratio est, si cominus ipsas

13. *christicolas,* christianos. Cfr Cath. 3, 56; 8, 80; Montan. episc. Ep. 2 (titul.).

exposuisti, vox quinque syllabarum minus eleganter versum claudit; voces bisyllabas vel trisyllabas vulgares hexametrorum clausulas esse satis constat; voces quatuor syllabarum saepius quam monosyllabae claudunt; verba quinque syllabarum in fine hexametri raro occurrunt, nisi forte nomen proprium quoddam difficultatem adtulit. Exempla tamen proferri possunt; cfr Hor. Epist. 2, 1, 19 (*anteferendo;* quod in *ante ferendo* dividi potest) et 2, 1, 223 *(irrevocati).*

Ad vim verbi (nervis carentes exposuisti) cfr: ne inermes provinciae barbaris nationibus exponerentur Tac. Hist. 3, 5.

14. *salutiferas.* Cfr Cath. 3, 7; salutiferam opem dare Ov. Heroid. 21, 174.

Apud scriptores christianos *salus* et verba cum hac voce composita saepius ad salutem spiritualem ("Heil" der Seele) pertinent.

15. *depugnare* non raro de gladiatorum pugnis dicitur; cfr: depugnare cum bestiis Ulp. Dig. 3, 1, 1, 6. Per similitudinem, ut hoc loco, dicit Cicero: voluptas depugnat cum honestate Cic. Acad. 4, 46.

excellentibus. Cfr: insignes excellentissimo cultu Suet. Ner. 20.

armas. Cfr: spoliis se quisque recentibus armat Verg. Aen. 2, 395; nos Deus armavit vera caelestique virtute Lact. Div. Inst. 6, 4.

Notanda est similitudo sonorum *ar*mas *ar*tibus, sine dubio non fortuita (cfr vv. 21, 25, 45—46, 75, 90, 131, 133, 158—159 cet., cet.).

16. *(armas) artibus ingenium.* Cfr: colas ... imbuas ingenium (artibus) Plaut. Trin. 2, 2, 18.

ad a verbo *potens* pendet; cfr: tanto sunt quaedam ad efficiendum potentiora Quintil. 6, 1; quaecunque herba potens ad opem, radixque medenti | utilis Ov. Heroid. 5, 147.

ludibria cordis, quae cor praestringunt et fallunt; cfr: sive ludibrium oculorum, sive vera species fuit Curt. 4, 15; ludibrium oculorum ... commentus (de Hannibalis fascibus et sarmentis, quae boum cornibus praeligaverat) Liv. 22, 16; cfr etiam 24, 44 (de falsis prodigiis).

17. *tibi dimicet et tibi vincat.* Cfr: tibi copula iungitur horum Cath. 10, 6; tibi (Veneri) suaveis daedala tellus submittit flores, tibi rident aequora ponti Lucr. 1, 8.

18. *praesens,* quae facile intelligi potest.

cominus cum *colluctantia,* quod sensu etiam ad *virtutum facies* pertinet, coniungendum.

colluctantia. Cfr: his colluctamur

virtutum facies et colluctantia contra
viribus infestis liceat portenta notare.
Prima petit campum dubia sub sorte duelli
pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
nuda humeros, intonsa comas, exserta lacertos,

praedonibus Hamart. 521. Verbum colluctor de pugnis singularibus dici solet, ut probant pleraque exempla: cum eo solo colluctatur Plin. 27, 2, 2 de veneno. Medios latrones invado ac singulis, ut quemque colluctantem offenderam, gladium altissime demergo Apul. Met. 2. Philosophus cum petulantia morbi colluctans Gell. 12, 5.

19, 20. *virtutum facies — portenta notare.* Verisimile videtur Prudentium Psychomachiam suam figuris pictis illustrandam curavisse vel ad picturas quasdam, publice notas, spectavisse ut in Dittochaeo sine dubio fit. Facile tamen concedo nihil certi de hac re ex verbis antecedentibus colligi posse.

20. *viribus* pro *signis,* quia de spiritualibus rebus modo per similitudinem agitur. Similitudo non semper ex omni parte plena inducitur.

portenta. Interdum de hominibus improbis dicitur, ut: P. Clodius, fatale portentum prodigiumque rei publicae Cic. Pis. 4.

notare, docere, monstrare. Quae genera vitium et in quali solo caeloque essent conserenda cum enumerarem naturas eius notavimus Plin. 17, 35, 27.

Fides contra Idololatriam (vv. 21—39).

21. *dubia sub sorte.* Cfr certa sub sorte Manil. 1, 110.

duelli. Duellum hoc loco proprio et iustissimo sensu dicitur: pugna inter duos.

22. *Fides,* religio christiana; cfr Cath. 4, 84; Praef. 39 (catholicam fidem)

turbida, sine cultu et luxuria. Hic huius verbi sensus Prudentio paene proprius est. Apud alios vulgo confusa, mente consternata significat; cfr: dictus eram cuidam subito venisse puellae: | turbida perversas induit illa comas Ov. Ars am. 3, 245. Cfr etiam infra v. 773.

agresti turbida cultu. Religio christiana olim et tempore etiamtunc Prudentii simplex erat, sine sacrificiorum, imaginum, variorum munerum tanto decore, quanto templa et cultus (cfr versum 29 cet.) Romanorum et Graecorum excellebant: etiam orationum et carminum christianorum eadem ratio; cfr: assueti — — dulcibus et politis sive orationibus sive carminibus, divinarum literarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur Lact. Div. Inst. 6, 21. Adde quod initio christiani magna ex parte ignobiles et infimi homines erant, et facile apparebit, quid sibi velit 'nuda humeros', 'intonsa comas', 'exserta lacertos'.

23. *nuda humeros.* Nudus membra Pyracmon Ov. Met. 7, 183.

intonsa comas. Coma et *comae* promiscue usurpantur: scindens dolore identidem intonsam comam, Accius ap. Cic. Tusc. 3, 26; comam in gradus frangere Quintil. 1, 6; disiectam comam restituere Sen. Brev. vitae 11; pecte comam Ov. Heroid. 13, 39;

Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
praelia, nec telis meminit, nec tegmine cingi:
pectore sed fidens valido membrisque retectis
provocat insani frangenda pericula belli.
Ecce lacessentem collatis viribus audet
prima ferire Fidem veterum Cultura deorum.
Illa hostile caput phalerataque tempora vittis
altior insurgens labefactat et ora cruore
de pecudum satiata solo adplicat et pede calcat
elisos in morte oculos, animamque malignam

pone recompositas in statione comas Ov. Amor. 1, 7, 68.

exserta lacertos, i. e. nuda lacertos: Exserti ingentes humeros Stat. Theb. 4, 235; humeros exsertaque brachia velat Stat. Achill. 1, 346.

24. *calor laudis.* Sine exemplo, sed *calor Martius* occurrit apud Stat. Achill. 2, 26.

fervens. Cfr: sceptrumque capessere fervet Claudian. In Rufin. 2, 295.

27. *provocat — — frangenda pericula belli.* Sine exemplo. Neque alibi *frangere pericula* exstat, sed *bellum fregit* Cic. Prov. cons. 13; contundere et frangere exsultantis praedonis audaciam Cic. Phil. 13, 13; vim furiosam vesani tribuni superare et frangere Cic. Dom. 21; morbum vincere et frangere Plin. Ep. 1, 12.

insani. Cfr: insani fluctus Verg. Ecl. 9, 43; insanae procellae Senec. Phoen. 420.

28. *collatis viribus* cfr '*viribus infestis*' v. 20.

29. *Prima,* nam sequentur multa alia vitia cum virtutibus pugnatura. Fides dux et rectrix ceterarum est. Cfr infra vv. 37, 716.

ferire. Cfr hostem ferire Sall. Cat. 7.

Cultura. Cfr: cultura potentis amici Hor. Ep. 1, 18, 86; Dei unici pia et religiosa cultura Lact. 5, 7.

30. *Illa,* Fides.

phalerataque tempora vittis, Vittae culturam veterum deorum optime decent, nam et feminae, decoris gratia, et flamines et hostiae, religionis causa, in sacrificiis vittis ornabantur. Vittis feminarum flores vel *phalerae* pro ornatu adfigebantur.

31. *altior insurgens* imitatio Vergilii: altior insurgens et cursu concitus heros Verg. Aen. 12, 902.

ora plurali numero saepius apud poetas; cfr: Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora Verg. Aen. 6, 495.

31, 32. *cruore de pecudum satiata.* Verbum *satio* et partic. *satiatus* apud alios scriptores cum ablativo sine praepositione construuntur: vultur satiatus humano cadavere Plin. 30, 27, 5; vosque canes satiatae sanguine herili Ovid. Met. 3, 140.

32. *solo adplicat.* Cfr: terrae adplicat ipsum Verg. Aen. 12, 303.

33. *elisos — — oculos.* Cfr: corripit in nodum complexus et angit inhaerens | elisos oculos, Verg. Aen. 8, 260. Amat Prudentius tristia et dira belli et crudelitatis spectacula,

fracta intercepti commercia gutturis artant,
difficilemque obitum suspiria longa fatigant.
Exsultat victrix legio, quam mille coactam
martyribus regina Fides animarat in hostem:

nullo mollitorum verborum lenimento adhibito, proferre. Plenissima exemplorum sunt carmina de martyribus quae *Peristephanon* vocantur. Eiusdem generis hic locus est e libro Cathemerinon captus: transfigit ergo carnifex | mucrone destricto furens | effusa nuper corpora, | animasque rimatur novas. | Locum minutis artubus | vix interemptor invenit, | quo plaga descendat patens | iuguloque maior pugio est. | O barbarum spectaculum! | Illisa cervix cautibus | spargit cerebrum lacteum | oculosque per vulnus vomit. Cath. 12, 109—120. Praesertim frui videtur, cum victoriam, quamvis crudelem, Fidei vel christianorum enarrare potest. Cfr Cath. 10, 105—112.

animamque malignam. Duplex *animae* huius est sensus: et halitum, quo spiritum ducimus et reddimus, et animum, spiritualem nostri partem, significat. Illi quam priorem diximus, significationi, coniunctum adiectivum *malignam,* idem valet atque *parcam* vel *angustam;* cfr: tenuis qua semita ducit | angustaeque ferunt fauces aditusque maligni Verg. Aen. 11, 524; gemini procul urbe malignis | faucibus urgentur colles Stat. Theb. 2, 498. Concedimus quidem his in exemplis verbum maligni ad ipsum ostium, ipsas fauces referri, non ad ea quae per ostia eunt; sed per figuram non inepte etiam de his rebus dici possit; cfr praeterea: tepet igne maligno | hic focus; ingenti lumine lucet ibi Martial. 10, 96.

Huic alteri sensui congruit hoc: *spiritus maligni* (= daemones) Luc. 8, 2 (Versionis vulgatae).

34. *fracta intercepti commercia gutturis artant.* Ad *intercepti* cfr: praeceps in salum murus pedestre interceperat iter Curt. 4, 2.

Ad *commercia,* quod hoc loco sensum *viae, itineris* habet, cfr: qui commercia haec et litora peragravit Plin. 37, 11, 13. Cfr etiam Claudian. Eutrop. 1, 58.

Ad *artant* cfr: ubi primum se artat (sc. mare), Hellespontus vocatur Mel. 1, 1, 3.

35. *obitum — — fatigant.* Constructio Prudentiana, nullis exemplis aliunde captis fulta.

36. *coactam,* clausam, completam, novissimo agmine ornatam (cogere agmen = agmen claudere); cfr: Primae legionariae cohortes ibant; levis armatura et equites agmen cogebant Liv. 34, 28; assentior tibi: ut nec duces simus, nec agmen cogamus Cic. Att. 15, 13; sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam Sen. Ep. 12.

37. *animarat:* In nova sanguineos animasti vulnera rictus Anon. Laud. Herc. (inter op. Claudiani).

36, 37. *mille coactam martyribus.* Martyres claudere agmen dicuntur, quia mors martyrum ultima est ratio, qua convincitur paganismus; martyres quasi optimi milites sunt: prodeunt vitam et sanguinem profusuri, cum res 'ad triarios venerit'.

tunc fortes socios parta pro laude coronat
floribus ardentique iubet vestirier ostro.
Exin gramineo in campo concurrere prompta
virgo Pudicitia speciosis fulget in armis,
quam patrias succincta faces Sodomita Libido
adgreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
ingerit in faciem pudibundaque lumina flammis
adpetit, et taetro temptat suffundere fumo;
sed dextram furiae flagrantis et ignea dirae

39. *ardenti,* splendenti, quasi ignem referenti; Cfr: ardentissimus color Plin. 21, 10, 2.

ostro pro *veste purpurea;* cfr: stratoque super discumbitur ostro Verg. Aen. 5, 111.

Pugna Pudicitiae et Libidinis (vv. 40—108).

40. *concurrere prompta,* cfr: promptus metuenda pati Lucan. 7, 105.

Pudicitia, metri violatio, quae evitari non potuit, si formam nominativi adhibere necesse erat, quae non alio modo in versum init. Cfr tamen v. 685.

41. *speciosis,* puritatem immaculatam ostendentibus.

42. *patrias — — faces.* Ad hunc locum Dressel minus recte: "In exordio (10) vitia cum furiis perstat comparans. Hinc libidini faces". Furias faces habuisse, constat; cfr Verg. Aen. 7, 337; Val. Flacc. 4, 393; Senec. Herc. Oet. 1014; Quintil. 9, 3, 47; sed *patrias faces* non cum Furiarum mythis sed cum narratione de Sodoma cohaeret. "Sodomita" Libido, Sodoma urbe oriunda, fingitur et *patriae faces* ad incendium Sodomae spectant, quod etiam consequentibus verbis *ardenti sulphure* tanto certius confirmatur. Ad faces cfr praeterea: cum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates Cic. Tusc. 1, 19. Apparet huius loci faces nihil cum facibus Furiarum commune habere. Praeterea *Furiae* vox non semper ipsas fabulosas Furias significat, sed de omni foedo et diro portento, specie feminea apparente, dicitur; cfr Verg. Aen. 3, 252. Adde quod *pinea fax* ad ritus solennes nuptiarum Romanarum pertinebat. Cfr etiam: *quae noctu fieri initio solita etiam nunc pinea fax indicat.* Varro ap. Non. 112, 22.

44. *Ingerit in faciem.* Fugientibus ingerit hastas in tergum Verg. Aen. 9, 763; saxa ingerere in subeuntes Liv. 2, 65.

44—45. *lumina flammis, fumo.* Praeter verbalem sensum symbolica et ficta his verbis significatio eleganter inesse videtur: libidine flammant et ardent oculi, usu longinquo libidinum 'suffunduntur fumo' oculi, i. e. nigrescit et livet faciei sub oculis pars. Praeterea tota haec imago *flagrantis* et *igneae* "furiae" ad calorem libidinosi amoris spectat. Cfr *vapores* v. 50 et *flammas* v. 55.

Cum *suffundere* cfr: suffunduntque sua caelum caligine Lucr. 6, 478; omnia suffundens mortis nigrore Lucr. 3, 38; suffundi maculis Stat. Theb. 11, 120.

tela lupae saxo ferit imperterrita virgo
excussasque sacro taedas depellit ab ore.
Tunc exarmatae iugulum meretricis adacto
transfigit gladio; calidos vomit illa vapores
sanguine concretos caenoso, spiritus inde
sordidus exhalans vicinas polluit auras.
"Hoc habet" exclamat victrix regina "supremus
hic tibi finis erit, semper prostrata iacebis,
nec iam mortiferas audebis spargere flammas
in famulos famulasve Dei, quibus intima casti
vena animi sola fervet de lampade Christi.
Tene, o vexatrix hominum, potuisse resumptis

47. *lupae*. Mulier corpus pretio vulgare solita lupa dicitur Aur. Victor Orig. gent. Rom. 21. Cfr: vulgato corpore inter pastores lupam vocatam Liv. 1, 2.

imperterrita. Cfr: manet imperterritus ille Verg. Aen. 10, 770.

virgo contra *lupam* opposita.

49. *exarmatae*. Exarmare dextras Lucan. 5, 355; exarmare tigres rabiemque auferre leoni Manil. 4, 235.

meretricis cfr *lupae* v. 47.

50. *vapores*. Duplex eius verbi sensus est, vapores naturales morientis feminae significans, sed etiam allegorice libidinem et amorosum animi calorem involvens, cfr: Pectus insanum vapor amorque torret Senec. Hippol. 640.

51. *caenoso*. Cfr: Quis est aut humano sanguine non cruentus aut caenosa impuritate non sordidus (sc. vitiorum) Salvian. Gub. D. 3, 10.

52. *exhalans* intransitive positum, cfr: hic illic ubi Mors deprenderat exhalantes.

53. *Hoc habet* vel *habet* vox erat gladiatorum solita, cum alter alterum percusserat. Cfr praeterea: desuper altus equo graviter ferit atque ita fatur; | *Hoc habet* etc. Verg. Aen. 12, 295.

56. *famulos famulasve Dei* (= christianos). Cfr: hanc tu Deus optime mortem | famulis abolere paratus Cath. 10, 17; famulam tibi . . . mentem 10, 166.

intima — — vena. Voce *vena* saepe utuntur poetae ad intimam cuiusvis rei partem significandam; cfr venis silicis Verg. Aen. 6, 6; de hominis pectore: vulnus alit venis et caeco carpitur igni Verg. Aen. 4, 2. V. infra v. 142.

57. *lampade*. Lampadis propria et verissima significatio eadem est atque *facis*, ignis. Lampades praecipue utebantur in nuptiis. Homo christianus, 'sponsa Christi', de eius lampade fervere recte dicitur. Cfr: at tu (= Cupido) sic habeas ferientes cuncta sagittas: sic nunquam rapido lampades igne vacent Ov. Her. 14, 25.

58. *Tene — — potuisse*. Cfr: mene incepto desistere victam Verg. Aen. 1, 37.

vexatrix. Cfr: fortuna generis hominum vexatrix perpetua Lact. Div. Inst. 3, 29.

viribus exstincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Holofernis
caesa cupidineo madefactum sanguine lavit,
gemmantemque torum moechi ducis aspera Iudith
sprevit et incestos compescuit ense furores:
famosum mulier referens ex hoste tropaeum
non trepidante manu, vindex mea, caelitus audax.
At fortasse parum fortis matrona sub umbra
legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat,
vera quibus virtus terrena in corpora fluxit,
grande per infirmos caput excisura ministros.
Numquid et intactae post partum virginis ullum
fas tibi iam superest? post partum virginis, ex quo
corporis humani naturam pristina origo

resumptis viribus. Cfr: nec profuit hydrae | crescere per damnum geminasque resumere vires Ov. Met. 9, 192.

59. *capitis*. Caput interdum pro *vita* poni constat; *capitis paena* notissima est phrasis. De *ore: caput praebere* in obsceno sensu (de irrumatione) Auct. Priap. Carm. 21).

recalescere, rursus in vitam surgere. Cfr: nec post obitum recalescens | compago fatiscere novit Cath. 10, 95. Alio tamen sensu vulgo adhiberi solet: aut proprie rursus calescere: aut: novum vigorem et animi novam vim accipere, ut: recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque Plin. Ep. 7, 9.

flatu. Flatus apud Prudentium translate idem valet atque animus, spiritus; cfr: flatus in aethere plaudit ovans Perist. 3, 168.

60. *cervix Holofernis*; de clausula versus minus eleganti cfr ad v. 13.

62. *gemmantem*. Gemmantia litora (Arabum) = gemmis abundantia Manil. 4, 652.

aspera. Virgo aspera (Diana) Senec. Med. 87; Camilla aspera Verg. Aen. 11, 664.

63. *compescuit ense furorem*. Compescere armis furorem Vellei. 2, 12; scelera improborum Quintil. 12, 1, 26.

64. *referens — — tropaeum*, victoriam reportans; cfr: vince cupidineas pariter Parthasque sagittas | et refer ad patrios bina tropaea deos Ov. Rem. amor. 157.

65. *trepidante*, tremulante; cfr: trepidanti vertice pinus Petron. Sat. 131.

caelitus audax. Cfr: ducem salutis caelitus | incorporatum gignere Cath. 12, 79.

67. *figurat*. Cfr: os tenerum pueri balbumque poeta figurat Hor. Epist. 2, 1, 126.

71. *fas* = ius; cfr: fas armorum Tac. Hist. 4, 58; fas gentium Ann. 1, 42.

ex quo clausula hexametri, cfr Hor. Epist. 1, 2, 65; 2, 2, 153.

72. *origo*, personaliter dictum; cfr: Ille opifex rerum, mundi melioris origo Ov. Met. 1, 151.

deseruit carnemque novam vis ardua sevit,
atque innupta deum concepit femina Christum,
mortali de matre hominem sed cum patre numen.
Inde omnis iam diva caro est, quae concipit illum,
naturamque dei consortis foedere sumit.
Verbum quippe caro factum, non destitit esse
quod fuerat verbum, dum carnis glutinat usum,
maiestate quidem non degenerante per usum
carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.

73. *ardua,* i. e. caelestis, e caelo veniens; cfr: luminis arduam | manantemque Deo . . . originem Cath. 5, 29.

sevit. Cfr: Corpus . . . atque animam serit aër Lucr. 3, 572.

75. *cum patre numen* inelegans versus, prosodicas regulas non quidem violans, sed minus apte sequens.

76. *diva,* divina; cfr: divae vocis Anubis Alcim. 5, 64.

77. *foedere.* Cfr: hanc de patre ferunt sine matris foedere natam (Minervam) Capell. 6 p. 188; foedus thalami Ov. Met. 7, 403.

Hic longior de Christi natura digressus incipit (vv. 78—84), quo contra diversas haereses disputatur.

78. *Quippe* meliore latinitatis tempore in initio enuntiati ponebatur; interdum poetae huic legi non parent.

79. *glutinat usum.* Desunt exempla aliunde petita. *Glutino* idem valet atque coniungo, collino; hic autem necesse est significet *accipio, habere incipio.* Quamquam codices consentiantes *'usum'* habent, non sine veri similitudine videtur *usum* e fine sequentis versus huc insertum esse, nam absurdum est duos versus eodem verbo sine aliqua ratione insigni claudi.

80. *maiestate.* De maiestate divina cfr: incertum est, utrum munimentum loci, an maiestas dei plus hic admirationis habeat Justin. 24, 6 (de templo Apollinis Delphici).

quidem = autem, vero; cfr: hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator; re quidem vera exercitui praefuit Conon Nep. Con. 2; vagabitur modo nomen tuum longe atque late, sedem quidem stabilem non habebit (incertam tamen lectionem putant nonnulli) Cic. Marcell. 9.

per aut = propter aut = inter: Ceteri per lacrimas torpentibus Tac. Hist. 5, 3; per bella Val. Flacc. 6, 35.

81. *miseros — — nobiliora.* Contraria sunt *miser* et *nobilis,* nam miser interdum idem valet atque *pauper* et infima conditione vivens (cfr gall. misère, paupertas): ex beato miser Cic. Partit. 17; miseris . . . nihil negare possumus Cic. Planc. 34; servus domini pauperis miserique ("eines armen Teufels") Ter. Eun. 3, 2, 33.

maiestate — — miseros ad nobiliora trahente cfr infra v. 86 et Cath. 10, 30 seqq. Cum de coniunctis verbis *maiestate — nobiliora* agitur, commemorari potest *nobilem, nobilissimum* temporibus imperatorum titulos fuisse Caesarum ipsorum, vel filiorum, fratrum, sororum (ut nostra aetate "Königl. Kaiserl. Hoheit" etc).

Ille manet quod semper erat, quod non erat esse
incipiens: nos, quod fuimus, iam non sumus aucti
nascendo in melius: mihi contulit et sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
dum tribuit, nosmet dona ad caelestia vexit.
Dona haec sunt, quod victa iaces, lutulenta Libido,
nec mea post Mariam potis es perfringere iura.
Tu princeps ad mortis iter, tu ianua leti,
corpora commaculans animas in tartara mergis.
Abde caput tristi iam frigida pestis abysso;

82. *quod semper erat* = deus; *quod non erat* = homo.

83. *quod fuimus* = terreni, mortales.

aucti, in meliorem conditionem tracti, beatiores redditi. Cfr: eodem tempore et suscipimur in lucem et hoc caelesti spiritu augemur Cic. Har. Resp. 27; te augendum atque ornandum putavi Cic. Fam. 7, 17; dii me equidem omnes adiuvant, augent, amant. Etiam *gignendi* vis in hoc verbo inesse potest: nam quodcunque alias ex se res auget alitque Lucr. 5, 323.

84. *contulit,* addidit, tribuit, largitus est; cfr: haec tibi contulerunt caelestia munera divi Propert. 2, 2, 35.

85. *ex* causali sensu.

86. *nosmet.* Syllaba *-met nos,* non *se* ipsum augere Deum, maiore vi significat poeta.

dona ad caelestia vexit. Cfr: gustaverunt etiam donum caeleste Iac. 1, 17 (Versio vulg.).

Ad rem cfr: ignis (= animus) vehit hospita viscera secum | pariterque reportat ad astra Cath. 10, 31—32.

lutulenta, immunda impura. Lenone istoc non lutum est lutulentius Plaut. Poen. 1, 1, 29.

88. *Marĭam.* Syllaba secunda huius nominis anceps est, saepius tamen longa. Cfr: angelus intactae cecinit properata Mariae Sedul. in Luc. 1, 2, 36.

perfringere iura. Cfr: non solum ad negligendas leges ac quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque Cic. Cat. 1, 7; perfringere decreta senatus Cic. Mil. 32.

89. *Tu princeps ad mortis iter, tu ianua leti,* tu in ostio stas itineris mortalis, tu ipsum ostium es. (Du stehst am Eingang des Todesweges). Cfr: mediae urbis iter Verg. Aen. 2, 359, 360. Alius tamen sensus non plane absurdus videtur: tu princeps iter es (quod) ad mortis (domum fert), (Du bist der erste Weg zum Tode, die grösste Verführerin). Cum verbis 'princeps iter' cfr: princeps numerus portarum v. 833. 'Ad mortis', cfr: venerant ad Fortunae, ad Iunonis (sc. templum).

ianua leti. Cfr: reclusaque ianua leti Val. Flacc. 4, 231.

90. *corpora commaculans.* Notanda est similitudo sonorum, cfr supra v. 15.

in tartara mergis. Cfr: At laeva malorum exercet poenas et ad impia tartara mittit Verg. Aen. 6, 578.

91. *abde.* Cfr: o mors . . . abde negatores Apoth. 771; abdita . . . tartara Apoth. 637.

occide, prostibulum, manes pete, claudere Averno
inque tenebrosum noctis detrudere fundum!
Te volvant subter vada flammea, te vada nigra
sulphureusque rotet per stagna sonantia vortex:
nec iam christicolas, furiarum maxima, temptes,
ut purgata suo serventur corpora regi."
Dixerat haec, et laeta Libidinis interfectae

iam frigida. Nunc morte frigida est, ante fuerat *fervida;* cfr vv. 46, 50.

pestis saepe de abominando homine, vel de alio animante taetro et diro usurpatur. Cfr: nec saevior ulla pestis Verg. Aen. 3, 215 (de Harpyiis). Cum *furia* interdum coniungitur (ut hic); cfr: producti in concionem ab illa furia ac peste patriae Ciç. Sext. 14.

abysso. Abyssus est profunditas aquarum impenetrabilis Isid. Orig. 13, 20, 1. Unde *mergi abysso;* cfr: mersandam penitus puteo ferventis abyssi Ham. 835.

92. *prostibulum.* Cfr vv. 47, 49.

manes, sensu locali; cfr: Inscr. Rénier 3421 (non tamen ad manes, sed caeli ad sidera pergis).

Averno. Cfr: hunc quoque summa dies nigro submersit Averno, Ov. Amor. 3, 9, 27.

93. *detrudere.* Cfr: Stygias detrusit ad undas Verg. Aen. 7, 773.

fundum. Significat vulgo fundus partem imam alicuius rei, saepius firmam et solidam ("Boden"): amnis fundo carens Plin. 3, 20, 8; imo Nereus ciet aequora fundo Verg. Aen. 2, 419. Exempla huic loco plane congruentia desunt.

94. *subter,* adverbium ("dort unten").

vada. Vadum idem interdum valet atque fundus: ut illa vado exsiliat vena, non e lateribus Plin. 31, 23, 2; vada caeca Verg. Aen. 1, 536. Apud poetas saepe simpliciter aquas, fluctus significat: non tangenda rates transsiliunt vada Hor. Carm. 1, 3, 24; placido quieta labitur Lethe vado Senec. Herc. fur. 680.

95. Cum hac descriptione tartari cfr: marcent suppliciis tartara mitibus | exsultatque sui carceris otio | functorum populus liber ab ignibus | nec fervent solito flumina sulphure Cath. 5, 133—136. Cfr Cath. 9, 70—78.

vortex. Haec vocis forma adhiberi solet ad 'aquae in gyrum vertentis impetum turbinemque' significandum, '*vertex*' autem 'cum volunt notare summitatem alicuius rei' (Forcell. ad v. *vortex*).

96. *christicolas* cfr v. 13.

furiarum maxima cfr vv. 46 (furia), 89 (maxima). Cfr ad voces coniunctas: furiarum ego maxima (Celaeno Harpyia) Verg. Aen. 3, 252.

temptes. Cfr: tu coniux, tibi fas animum (Iovis) temptare precando Verg. Aen. 4, 113; temptari a diabolo Luc. 4, 2 (Vulg.).

97. *purgata,* a peccatis mundata (ap. scr. eccles.): in octavo (circulo) sunt animae ita purgata ut redeant Serv. ad Aen. 6, 426.

regi. Cfr: rex noster v. 5.

98. *Dixerat haec. Dixerat* initio versus, post orationem, saepe apud

morte Pudicitia gladium Iordanis in undis
abluit infectum, sanies cui rore rubente
Haeserat et nitidum macularat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluviali docta lavacro
victricem victrix, abolens baptismate labem
hostilis iuguli: nec iam contenta piatum

Vergilium positum est, ex. gr. Verg. Aen. 2, 621, 705; 4, 238, 331, 663; *Dixit* simili positione Verg. Aen. 1, 402; 3, 258; *Haec ait* Verg. Aen. 1, 297.

99. *Pudicitiā,* cfr v. 41.

Iordanis. Symbolicus factus est fluvius ille, ut aquam purificantem, in primis baptismatis aquam significet; cfr: durare nos tales iube, | quales remotis sordibus | nitere pridem iusseras | Iordane tinctos flumine Cath. 2, 61—64.

100. *abluit. Abluo* apud Prudentium tribus sensibus adhibitum observavi:

1) liquore perfundendo aliquid tollo (ich spüle hinweg): agmina languentum sitiunt spem fontis avari | membrorum maculas puro abluitura natatu Apoth. 684; cfr: Cath. 9, 32; transl.: dominus malum abluit Hamart. 668; 2) liquore perfundendo purum aliquid reddo, purgo: membra morbis ulcerosa, viscerum putredines, | mando ut abluantur, inquit Cath. 9, 32 (*membra — abluantur* hoc altero sensu accipiantur, *putredines — abluantur* priore illo); gladium Iordanis in undis | abluit infectum Psych. 100; ne tecta rubigo | occupet ablutum scabrosa sorde nitorem Ibid. 106; criminibus .... tinctum .... abluisti Perist. 13, 58; 3) baptismate martyrii tingo (constat enim christianos scriptores verbo baptizandi et eius synonymis usos esse ad mortem martyris indicandam; cfr: "Blut-taufe"): lymphis fluvialibus | gurges, dum rapit, abluit (Quirinum martyrem) Perist. 7, 15; cfr ea, quae sequuntur ("tingat passio martyrem").

rore, sanguine. Ros praesertim asperginem cruoris, guttas sparsim illatas, more roris, significat. Cfr: sparsos stillanti rore capillos Ov. Met. 11, 57; ardentiaque ora cruentis, roribus Stat. Theb. 2, 673. *Rore rubenti* cfr 15.

102. *aciem,* sc. gladii: aciem securium Cic. Verr. 7, 43; acies falcis Ov. Met. 3, 107; aciem trahere = acuere Plin. 36, 47, 1.

docta, prudens, callida. Cfr: malus, callidus, doctus Plaut. Pseud. 2, 4, 35.

lavacro. Lavacrum proprie est locus ubi lavantur, sed interdum etiam ipsa lavatio. Utraque significatio hic apta est.

103. *abolens — — labem.* Cfr: abolere labem ignominiae Tac. Hist. 3, 24.

baptismate, per imaginem baptisma christianorum, quod priscis temporibus ipsis in fluviis fiebat, spectat; cfr: humus .... baptismate lota Apoth. 697 (cfr 765). Vox apud scriptores ecclesiasticos paene solos occurrit (frequentius sub forma *baptismus* [raro *baptismum*]).

104. *contenta* cum inf.; cfr: barbari hostem pepulisse contenti non institere cedentibus Curt. 8, 11. Contentus titulum retinere provinciae Vellei. 2, 49.

piatum, rarius pro *expiatum.*

condere vaginae gladium, ne tecta rubigo
occupet ablutum scabrosa sorde nitorem,
catholico in templo divini fontis ad aram
consecrat, aeterna splendens ubi luce coruscet.
Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu
per medias immota acies, variosque tumultus,
vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis

105. *condere vaginae gladium.* Condere cum dativo constr., sine exemplo, suspectum videtur. Cfr gladius in vagina reconditus Cic. Cat. 1, 2. Delphinus pinnae aculeos velut vagina condens Plin. 9, 8, 8.

tecta. Cfr: tectus vagina ensis Hor. Sat. 2, 1, 40.

rŭbigo, correpta prima syllaba.

106. *occupet*, superfundatur nitori. Cfr: pallor occupat ora Verg. Aen. 4, 499; macies tabentes occupat artus Tib. 4, 4, 5.

scabrosa, rara vox apud priscos: incertum an exstet Plin. 20, 21, 85; vulgo *scaber* eodem sensu, quo hic scabrosus = asper (contrarium *lēvis*) — ponitur; cfr: exesa inveniet scabra robigine pila Verg. G. 1, 495.

107. '*cătholico*', cfr: Praef. 39. Apoth. 2; 291, Perist. 7, 9; 11, 24, 30. Ut apud Vergilium *Italia* non alio modo in hexametrum includi potest, quam unius syllabae productione, ita hic *catholicus.* Quod ad verbum ipsum et eius usum et significationem attinet, cfr: catholica siderum errantium (= 'ea quae universim pertinent ad sidera errantia') Plin. Hist. nat. in elencho 1, 2 n. 15; catholica et summa bonitas Dei Tertull. adv. Marc. 2, 17. Apud Prudentium iam fere hodiernum sensum habet vox, ecclesiam universalem spectans, cui contrariae ponuntur sectae et haereses diversae.

divini fontis, quasi semper gladium abluentis, si forte rubigo irrepere voluisset. 'Ad aram' templi christiani perpetuus quasi fons puritatis erat. Huc spectare credo coniunctionem 'divini fontis ad aram': ad aram divinitatis, puritatis; vix credam ad vas ipsum baptismatis pertinere verba, nam neque eius modi vasa in ara vel ad aram posita erant, neque bene intelligi potest, si hic sensus inest, quid sibi velit *fontis ara.*

108. *consecrat.* Qui proelia feliciter fecerant, aut victoria quadam parta, aut pleno tempore ex. gr. gladiatoris vel militis confecto, arma sua vel tela in templis deo alicui consecrabant, paretibus ea appendentes. Cfr Hor. Epist. 1, 1, 5.

coruscet. Clipeus coruscans Claudian. Cons. Honor. 3, 29.

Pugna Patientiae et Irae.
(vv. 109—177).

109. *gravi.* Cfr: fronte gravi et tristi supercilio Plin. Pan. 41.

rigidis. Cfr: rigidum ferrum Ov. Rem. Am. 11, rig. ensis Verg. Aen. 12, 304.

111. *vitalia* interiores corporis partes, in quarum securitate vita hominis stat, ut cor, viscera, cerebrum: *pilum sub oculo adactum in vitalia capitis venerat* Plin. 17, 27, 42.

spectabat defixa oculos et lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens, spumanti fervida rictu,
sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
ut belli exsortem, teloque et voce lacessit
impatiensque morae conto petit, increpat ore,
hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
"En tibi Martis", ait, "spectatrix libera nostri,

Eadem vox apud Prudentium alio loco (Cath. 9, 63) ipsum animum, spiritualem hominis partem significat.

pervia, perforata, traiecta. Cfr: nullis vulneribus pervia membra sunt Sen. Herc. Oet. 151; cunctis pervius hostis Lucan. 2, 310.

112. *defixa oculos.* Cfr: moesto defixus lumina vultu Verg. Aen. 6, 156.

lenta, patiens. Cfr: patientis ac lenti Cic. Or. 2, 69; ego nimium patiens et lentus existimor Ibid. 75.

113. *spumanti rictu.* Rictus proprie est os apertum ferarum; tum autem de ore quolibet dici potest, sed semper sensu quodam comtemptorio. Cfr: caede leaena boum spumantes oblita rictus Ov. Met. 4, 98; risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus Suet. Claud. 30.

114. *intorquens — — lumina.* Cfr: ardentes oculos intorsit lumine glauco Verg. G. 4, 451.

suffuso. Cfr: lupus rubra suffusus lumina flamma Ov. Met. 11, 368. De Invidia dicit Ovidius: pectora felle virent, lingua est suffusa veneno Ov. Met. 2, 777.

felle. Fel saepe cum ira coniungitur, ut: hic vero Alcidae furiis exarserat atro | felle dolor Verg. Aen. 8, 219.

115. *belli exsortem.* Cfr: ne feminae quidem exsortes periculi Tac. Ann. 6, 10.

voce lacessit. Cfr: ultro me maledictis lacessisti Cic. Phil. 2, 1; dictis et carminibus lacessere Suet. Ner. 39; probris Suet. Tib. 61.

116. *impatiensque morae,* imitatio Silii: impatiensque morae fremit Sil. 8, 4.

conto. Contus longior est hasta, saepe autem pro hasta simplici dicitur.

117. *hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.* Cfr: summasque excussit vertice cristas Verg. Aen. 12, 483; galea hirsuta compta lupina iuba Prop. 4, 10, 20; aere caput fulgens cristaque hirsutus equina. Verg. Aen. 10, 869.

118. *En, tibi.* Tibi aut dativi ethici loco positum esse potest (*en tibi* sine exemplis est, quamquam *hei mihi* et cetera similia proferri possunt) aut, quod libentius credam, loco dativi cuiusdam incommodi, ita, ut hic verborum sensus proveniat: en, hoc (hic conti ictus, haec cristarum quassatio) tibi sit!

Martis, pugnae. 'Mars' saepius eventum belli, quam proelium ipsum significat; multa tamen sunt etiam huius significationis exempla. Ex. gr. cfr: et fora Marte suo litigiosa vacent Ov. Fast. 4, 188, ubi Marte idem

excipe mortiferum securo pectore ferrum,
nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem".
Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus
per teneros crispata notos, et certa sub ipsum
defertur stomachum, rectoque illiditur ictu:
sed resilit duro loricae excussa repulsu,
provida nam virtus conserto adamante trilicem
induerat thoraca humeris, squamosaque ferri
texta per intortos commiserat undique nervos.

atque bello, translato tamen sensu, valet.

libera, nullam partem pugnae habens.

119. *excipe.* Excipere vulnera Cic. Sext. 10; tela Verr. 4, 72; omnem impetum discordiarum, omnem vim improborum excepi meo corpore Cic. Dom. 24.

120. *nec* pro *neu.*

doleas, lamenteris.

121. *Sic ait.* Cfr Aen. 1, 142; vide praeterea v. 98.

pinus, hasta. Cfr: una duo corpora pinus | cornipedemque equitemque ferit Stat. Theb. 8, 539.

122. *crispata.* Cfr: bina manu lato crispans hastilia ferro Verg. Aen. 1, 313 et 12, 165.

certa. Cfr: certam quatit improbus hastam Verg. Aen. 11, 767; metuende certa, Phoebe, sagitta. Hor. Carm. 1, 12, 23.

124. *excussa.* hasta volans clipeo est excussa proculque | egregium Antorem figit Verg. Aen. 10, 777.

repulsu. Cfr: densus stridor cum celso e vertice montis | ortus adaugescit scopulorum saepe repulsu Cic. (Arat.) Div. 1, 7.

125. *Provida.* Cum tota hac narrationis parte cfr: sed providus astu | et patria vigil arte Lacon hos reiicit ictus, | hos cavet Stat. Theb. 6, 769.

conserta adamante trilicem induerat thoraca. Cfr: loricam consertam hamis auroque trilicem Verg. Aen. 3, 467.

adamante. Adamas apud antiquos, in primis apud poetas, metallum durissimum significat; interdum idem valet atque ferrum (Stahl): adamante texto (= catenis infragilibus) vincire Sen. Herc. Fur. 807; nil adeo validum est, adamas licet alliget illud, | ut maneat rapido firmius igne Iovis.

126. *induerat thoraca humeris.* Induit . . . vestes humeris Ov. Her. 21, 90.

squamosa. Cfr: squamosum thoraca gerens de pelle colubrae Hamart. 423.

127. *texta* (ferri) Cfr: ferrea texta Lucr. 6, 1052; clipei non enarrabile textum Verg. Aen. 8, 625.

intortos. Cfr: de sinu licium protulit varii coloris filis intortum Petron. Sat. 131.

commiserat. Committo proprie est coniungo: costae committuntur cum osse pectoris Cels. 8, 1; "qua

Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
telorum nimbos et non penetrabile durans.
Nec mota est iaculo monstri sine more furentis,
opperiens propriis perituram viribus Iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
barbara bellatrix impenderat, et iaculorum
nube supervacuam lassaverat irrita dextram,
cum ventosa levi cecidissent tela volatu,
iactibus et vacuis hastilia fracta iacerent,
vertitur ad capulum manus improba et ense corusco
connisa in plagam, dextra sublimis ab aure

naris fronti committitur Ov. Met. 12, 315. Vide infra v. 679 (commissura).

nervos. Nervus interdum significat vinculum, catena. Cfr Plaut. Curc. 5, 5, 11.

128. *fortis ad omnes telorum nimbos.* Cfr: ad pericula fortem Cic. Font. 15 (33).

129. *nimbos.* Cfr: funditur pilorum in Poenos nimbus Sil. 5, 215.

penetrabile, cfr infra v. 296.

130. *sine more*, sine lege, velut amens; cfr: immensam sine more furit lymphata per urbem Verg. Aen. 7, 377. Addi potest 5, 694.

132. *indomitos — — lacertos*, sine exemplo, sed conferri potest: me cupidis teneat foveatque lacertis Prop. 3, 15, 37. Cum *indomitos* cfr: indomitas . . . . iras Verg. Aen. 2, 594 et multos alios locos.

133. *impenderat.* Cfr: haec vulnera pro libertate publica excepi: hunc oculum pro vobis impendi Petr. Sat. 1, 1.

134. *nube*, multitudine; cfr: occupat Alcides arcum totaque pharetrae | nube premit Val. Fl. 2, 521.

supervacuam. 'Dextra supervacua', quantum scio, alibi non occurrit, sed de ira supervacua cfr: quid enim est iracundia in supervacaneum ("supervacuum) tumultuante frigidius Sen. Ira 2, 11.

irrita subiecto personali attributum; cfr: domum non minus lassus quam irritus rediit Sen. Ben. 6, 11; venit et e templis irrita turba domum (deus oraculo non responderat) Tib. 2, 3, 22.

135. *ventosa*, inania, sine effecto.

136. *vacuis*, vanis, inanibus.

137. *vertitur ad capulum.* Cfr: ad iaculi vertebar opem Ov. Met. 7, 787.

manus improba. Cfr: impiam . . . . manum Sen. Agam. 900 (vide infra ad v. 139).

138. *connisa.* Cfr: fert ingens toto connixus corpore saxum Verg. Aen. 10, 127; torserat hic totis connisus viribus hastam Val. Fl. 3, 193; ad surgendum conniti Curt. 7, 3; conniti ad convincendum aliquem Tac. Ann. 15, 66; connituntur que, ut sese erigant Cic. Fin. 5, 15 (42).

plagam. Cfr: iamque adsurgentis dextra plagamque ferentis | Aeneae subiit mucronem Verg. Aen. 10, 797; cfr praeterea Cic. Fat. 10 et 20, v. infra ad v. 147.

erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.
Aerea sed cocto cassis formata metallo
tinnitum percussa refert aciemque retundit
dura resultantem: frangit quoque vena rebellis
illisum chalybem, dum cedere nescia cassos
excipit adsultus ferienti et tuta resistit
Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidit
et procul in partes ensem crepuisse minutas,
iam capulum retinente manu sine pondere ferri
mentis inops, ebur infelix decorisque pudendi
perfida signa abicit monimentaque tristia longe

sublimis — — erigitur. Cfr: er. in sublime (*sublimi) Plin. 10, 21, 24.

139. *librata.* Cfr Ov. Met. 7, 787 (vide supra ad v. 137); summa telum librabat ab aure Verg. Aen. 9, 417; sic huc et illuc impiam librat manum Sen. Agam. 900; sic ergo libravit manum caesus, ut ipsam protinus feriret animam Quint. Decl. 1, 10.

mediumque ferit librata cerebrum. Cfr: hasta . . . . traiecto *transit (haesit?) tepefacta cerebro Verg. Aen. 9, 419.

140. *cocto,* igne durato. Cfr: telum . . . . solidum nodis et robore cocto Verg. Aen. 11, 553 (Ad quem versum Servius: hastae igni plerumque durari consueverunt, ut facilius corticem demittant). Hic autem de ipso metallo agitur.

formata. Cfr: e Pario formatum marmore signum Ov. Met. 3, 419.

141. *tinnitum percussa refert.* Cfr: aeraque tinnitus aere repulsa dabunt. Ov. Fast. 4, 184.

142. *vena.* Cfr v. 57; Cath. 7, 78.

143. *cedere nescia.* Cfr Hor. Carm. 1, 6, 6.

cassos — — adsultus. Cfr: *quisnam (quinam *codd.*) ad cassos furor impulit ictus Sil. 10, 117.

144. *adsultus,* Cfr: nunc hos, nunc illos aditus omnemque pererrat | arte locum et variis adsultibus irritus urget Verg. Aen. 5, 441.

145. *fragmina.* Cfr: fragmina remorum Verg. Aen. 10, 306; fragmina (teli) Val. Fl. 6, 250; hominis tibi (= terrae) membra sequestro | generosa et fragmina credo Prud. Cath. 10, 112.

146. *crepuisse,* dissolutum esse. Rarus est hic verbi sensus et haec cum *procul* et *in partes* coniunctio; vix conferri potest: acuto in murice remi | obnixi crepuere illisaque prora pependit Verg. Aen. 5, 205.

147. *pondere ferri.* Cfr: hi sude pugnas, | hi pinu flagrante cient, hi pondere pili Sil. 9, 335; curvati pondere ferri 6, 355; tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, cum declinat atomus Cic. Fat. 10 (22).

148. *mentis inops.* Cfr Ov. Fast. 4, 457.

ebur vaginam ex ebore factam vel ebore ornatam; cfr: ense | vidit ebur vacuum Ov. Met. 4, 148.

ebur infelix. Cfr: infelix balteus Verg. Aen. 12, 941.

149. *monimenta,* insignia; cfr: abi tu, cistellam Pythias, domo effer cum monumentis (i. e. cum iis signis,

spernit et ad proprium succenditur effera letum.
Missile de multis, quae frustra sparserat, unum
pulvere de campi perversos sumit in usus:
rasile figit humi lignum ac se cuspide versa
perfodit et calido pulmonem vulnere transit.
Quam superadsistens Patientia: "Vicimus", inquit
"exsultans vitium, solita virtute, sine ullo
sanguinis ac vitae discrimine. Lex habet istud
nostra genus belli, Furias omnemque malorum
militiam et rabidas tolerando exstinguere vires.

ex quibus exposita puella recognosci posset) Ter. Eun. 4, 6, 15 (16); insigne honoris et monumentum laudis Cic. Cat. 3, 11 (26).

longe spernit, longe a se segregat, abicit; cfr: nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se Plaut. Capt. 3, 3, 2.

150. *succenditur.* Cfr: fulminibus . . . . succenditur aër Lucan. 2, 269; non sic Leucippis succendit Castora Phoebe Prop. 1, 2, 15.

effera. Cfr: saevitque iuventus | effera Verg. Aen. 8, 5; effera . . . . corda Val. Fl. 1, 798; manus . . . . effera Ibid. 4, 318; ira 5, 517; efferum facinus Sen. Phoen. 264.

152. *sumit.* Cfr: qui ad me interficiendum ferrum sumserunt Liv. 40, 11.

perversos — — in usus. Cfr: aurum . . . . cogere humanos in usus Hor. Carm. 3, 3, 51.

153. *rasile — — lignum* i. e. rasum, politum, ξεστόν. Cfr: rasilis hasta Sil. 4, 176.

figit humi. Cfr: feraces | figat *humo* plantas (= serat) Verg. G. 4, 115; *affigere (affligere?) *humo* Hor. Sat. 2, 2, 79.

154. *perfodit.* Cfr: ferrum stringere, perfodere pectus Plin. Ep. 3, 16, 6.

vulnere transit. Vulnus hoc loco ipsum ictum significare videtur; cfr: Hylaei percussus vulnere rami Prop. 1, 1, 13.

155. *superadsistens.* Cfr: ossa virum lacerosque prius superadstitit artus Manil. 1, 909. De accusativo *quam* cum *superadsistens* coniuncto cfr: nec illas | adstiteris impune trabes Val. Fl. 5, 640.

157. *sanguinis ac vitae discrimine.* Cfr: adducerem . . . . illos . . . . in . . . . discrimen vitae Cic. Sext. 20 (45); discrimen capitis Tac. Germ. 12. Cfr etiam Cic. Deiot. 1 (2).

158. *genus belli.* Cfr: primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum Cic. Pro lege Man. 2, (6).

lex habet istud, lex ea re insignis, notabilis est; cfr: habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum . . . cognoverat, hunc in familiaritatem . . . recepit Cic. Phil. 2, 32.

159. *militiam,* exercitum, copias; cfr: concursu insularium cum omni militia interficitur Iust. 32, 2, 2. Cfr etiam Ov. Heroid. 8, 46.

exstinguere vires. Cfr: Fortuna vires ingenii exstinguit. Quint. Prooem. 6.

Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo
interimit, moriturque suis Ira ignea telis.
Haec effata secat medias impune cohortes
egregio comitata viro, nam proximus Iob
haeserat invictae dura inter bella[1] magistrae,
fronte severus adhuc et multo funere anhelus,
sed iam clausa truci subridens ulcera vultu
perque cicatricum numerum sudata recensens
milia pugnarum, sua praemia, dedecus hostis.
Illum diva iubet tandem requiescere ab omni
armorum strepitu, captis et perdita quaeque
multiplicare opibus, nec iam peritura referre.
Ipsa globos legionum et concurrentia rumpit
agmina vulniferos gradiens intacta per imbres,
omnibus una comes virtutibus adsociatur
auxiliumque suum fortis Patientia miscet.

[1] tela h

160. *vesania,* Ira vesana.

162. *secat.* Cfr: Turnum, qui volucri curru medium secat agmen Verg. Aen. 10, 440.

163. *comitata,* passive, cfr: tu alienis viris comitata Cic. Coel. 14 (34).

164. *haeserat,* comes fidus et proximus fuerat; cfr: Antorem comitem, qui missus ab Argis | haeserat Euandro Verg. Aen. 10, 779; obtinenti Africam comes haeserat Plin. Ep. 7, 27, 2.

dura — — bella. Cfr: duri .... munera belli Ov. Met. 13, 296.

165. *fronte severus.* Cfr: severo fronte curas cogitans Plaut. Mil. 2, 2, 46.

adhuc, ut patiens bellator, qui acriter hostes ceciderat, tristis vultu fuerat et, vi quae vocatur inertiae, adhuc erat.

multo funere anhelus, nam catervas Irae Iob, adiutor Patientiae, straverat, multaque funera ediderat. Ad vocem *funere* = caede, nece cfr: quae funera Turnus | ediderit Verg. Aen. 9, 527; patrios foedasti funere vultus 2, 539.

166. *ulcera.* Ulcus tecta et clausa malignitas, vulnus patens Non 5, 49.

sudata, pugnata; cfr: Iacob luctator angeli | sudavit impar praelium Cath. 2, 76; sudata bella Symm. 2, 550; gelidove labor sudatus in Haemo Stat. Th. 5, 189. Cfr etiam Sil. 3, 92.

169. *requiescere ab.* Cfr: Africanus requiescens *a* reipublicae ... muneribus Cic. Off. 3, 1; animus *ex* multis miseriis atque periculis requievit Sall. Cat. 4, 1.

172. *rumpit.* Cfr: rapido cursu media agmina rumpit Verg. Aen. 12, 683.

173. *imbres.* Cfr: it toto turbida caelo | tempestas telorum ac ferreus ingruit imber Verg. Aen. 12, 284: lacera ora putresque | sanguineo .... imbre genas Stat. Theb. 1, 437.

Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
virtus, et vidua est, quam non Patientia firmat.
Forte per effusas inflata Superbia turmas[1]
effreni volitabat equo, quem pelle leonis
texerat et validos villis oneraverat armos.
Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
inferret, tumido despectans agmina fastu.

[1] mentes h

176. *luctamen.* De clausula *-amen* cfr Kantecki l. l.; de ipso hoc verbo et eius significatione cfr: primus fulmineum lento luctamine Poenum | compressit Fabius, Claud. B. G. 138; exercentque toris Veneris luctamen anhelum Auct. Epithal. Anthol. Lat. T. 2, p. 636 Burm.; Tibris tacita refluens ita substitit unda.... remo ut luctamen abesset Verg. Aen. 8, 87.

177. *vidua.* Cfr: hasta super laevos humeros vicina cruori | effugit et viduo iugulum ferit irrita ligno (= qua parte ferro caret) Stat. Theb. 2, 542.

Superbia et Humilitas (vv. 178—309).

178. *Forte.* Cfr: omnemque suorum | forte recensebat numerum carosque nepotes Verg. Aen. 6, 681.

effusas. Cfr: huc omnis turba ad ripas effusa ruebat Verg. Aen. 6, 305; ad restinguendum incendium effusi Liv. 0, 5.

inflata. Cfr: quem nobis fama superbum | tradit et inflatum plerumque Nerone propinquo Iuv. 8, 72; inflatus et tumens animus Cic. Tusc. 3, 9.

179. *effreni.* Cfr: effreno equo in medios ignes infertur Liv. 4, 33.

volitabat. Cfr: volitat enim ante oculos istorum Iubae regis filius, adolescens non minus bene nummatus, quam bene capillatus Cic. Agr. 22 (59); et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex Cic. Phil. 11, 2 (6); valebis apud hominem volitantem gloriae cupiditate vir moderatus et constans Cic. Pis. 25 (59).

180. *villis.* Cfr: villosi pelle leonis Verg. Aen. 8, 177. Animantium .... aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae. Cic. Nat. D. 2, 47.

armos. Cfr: seu spumantis equi foderet calcaribus armos (armi = latera equi; alias armi = humeri commissura cum brachio.

181. *fulta.* "Apud veteres unus quisque eo, super quod iacebat, fultus dicebatur" Servius ad Verg. Buc. 6, 53; pulvino fultus Verg. Aen. 7, 94; fultus solio = sedens Claud. Rapt. Pros. 1, 79.

iactantius. Cfr: et septemgemino iactantior aethera pulset | Roma iugo Stat. Silv. 4, 1, 6; Germanicum nulli iactantius maerent quam qui maxime laetantur Tac. Ann. 2, 77.

182. *se — — inferret,* cum fastu incederet. Cfr: viden' ignavum, ut sese inferat Pl. Mil. 4, 2, 54; ut magnifice infert sese Ps. 4, 1, 7.

fastu. Cfr: superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix Plin. 9, 35 (58); fastus inest pulcris sequiturque superbia formam Ov. Fast. 1, 419.

despectat. Cfr: ex alto .... aethere .... despectat terras Ov. Met. 4, 622.

Turritum tortis caput adcumularat in altum
crinibus, exstructos augeret ut addita cirros
congeries celsumque apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
palla sinu teretem nectens a pectore nodum.
A cervice fluens tenui velamine limbus
concipit infestas textis turgentibus auras.

183. *turritum.* Cfr: turritaque premens frontem matrona corona Lucan. 2, 358; cerussa ora depingere, ornare crinem et alienis capillis turritum verticem struere 130 n. 7; sederat exserto bellatrix pectore Roma | cristatum turrita caput Sidon. Carm. 5, 13 (imaginem Romae deae spectat).

cirrus, capillus natura crispus seu contortus. Differt a cincinno, qui est arte crispatus.

183 etc. Haec descriptio, crinium decora et compositiones, quales habebant nobiles feminae tempore poetae, spectans magni interest. Non desunt imagines, quibus confirmantur ita fuisse, ut poeta describit; cfr Baumeister, Denkmäler des klass. Altertums pag. 619.

185. *congeriem.* Congeries non solum materia sine ordine confusa est sed etiam interdum constructam et ordinatam significat; cfr: construere congeriem (lapidum) Plin. 18, 31 (74).

apicem, virgulam lana circumdatam et filo ligatam habebant in summo pileo flamines. Apex galeae (Verg. Aen. 12, 492) summam galeam cristis ornatam significat. In loco notissimo Horatii: hinc apicem rapax | Fortuna cum stridore acuto | sustulit, hic posuisse gaudet (Hor. Carm. 1, 34, 14) multi apicem allegorico modo 'culmen honorum aut divitiarum' simpliciter significare dicunt; sensu quidem recte, sed credo per similitudinem Horatium de apice cecinisse, mitram quandam, vel coronam apicis formam in summo habentem, verbo suo figurans (qualia regum orientalium insignia capitis erant). Apex igitur etiam ipsum et totum capitis insigne vel operimentum esse potest.

frons ardua. Cfr: ardua cervix (equi) Hor. Sat. 1, 2, 88.

186. *Carbasea* etc. Cfr: tum croceam chlamydem sinusque crepantes | carbaseos fulvo in nodum collegerat auro Verg. Aen. 11, 775; eum tenuis glauco velabat amictu | carbasus 8, 34.

collecta. Cfr supra sub *carbasea;* adde: nuda genu nodoque sinus collecta fluentes Verg. Aen. 1, 320.

collecta coibat, cfr supra ad v. 15.

188. *limbus* proprie fascia est, longa, tenuis, angusta: aut libera, ut vitta (frontem limbo velata pudicam Claud. Cons. Mall. Theod. 118) vel zona, aut vestis vel velaminis cuiusdam extremae parti praetexta ("Saum") cfr: Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo Verg. Aen. 4, 137; indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat | aureus Ov. Met. 5, 51.

189. *concipit,* excipit, colligit; cfr: platani plurimum ventorum concipiunt propter densitatem ramorum Plin. 16, 31 (57); ventum concipere veste Quint. Inst. 11, 3; "et cum

Nec minus instabili sonipes feritate superbit
impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obvertit terga negata
libertate fugae, pressisque tumescit habenis:
hoc sese ostentans habitu ventosa virago,
inter utramque aciem supereminet et phaleratum
circumflectit equum vultuque et voce minatur
adversum spectans cuneum, quem milite raro
et paupertinis ad bella coegerat armis
mens humilis, regina quidem, sed egens alieni

magnam vim venti vela quoque concepissent Curt. 4, 3, 2.

infestas. Infestus, me iudice, nihil proprie significat nisi *ex adverso veniens* (inde postea hostilis): infestis contra hostes signis Caes. Bell. gall. 7, 51; milites, dato signo, cum infestis pilis procucurrissent Caes. Bell. civ. 3, 93. Hic Prudentii locus optime iuvat hanc opinionem.

textis. Cfr: illita Nessaeo misi tibi texta veneno Ov. Heroid. 9, 163.

turgentibus. Cfr: accepta spongia turget aqua Mart. 13, 47.

190. *instabilis* idem ac *mobilis* esse potest: nec Delius aures | humanam stolidas patitur retinere figuram; | sed . . . . | instabilesque imo facit et dat posse moveri Ov. Met. 11, 174. Addi fortasse potest: cymbae instabiles fluctu iactante saburram | tollunt Verg. G. 4, 195.

191. *impatiens* cum infin.: impatiens ultra gemitu cohibere furorem Sil. 11, 98; impatiens nescire torum Claud. Rapt. Pros. 1, 35.

lupatis. Lupatum vel *lupatus* (χαλινός), est freni species quaedam asperi et duri: asper equus duris contunditur ora lupatis Ov. Am. 1, 2, 15. Adiectivice: Gallica nec lupatis, temperat ora frenis Hor. Carm. 1, 8, 6.

193. *pressis — — habenis.* Cfr: sonipes . . . pressis pugnat habenis Verg. Aen. 11, 600.

194. *ventosa,* superba, iactans. Cfr: superbiebat ventosa et insolens natio Plin. Pan. 31; ventosa lingua Verg. Aen. 11 ventosae plebis suffragia Hor. Epist. 1, 19, 37. Alio sensu vidimus vocem supra, v. 135.

virago. Cfr: huc ubi pervenit bello metuenda virago (Pallas) Ov. Met. 2, 765.

195. *supereminet.* Cfr: qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes Ov. Trist. 1, 2, 49.

phaleratum. Cfr supra ad v. 30.

197. *cuneum,* manum militum, nota illa cunei forma ordinatam; cfr: dant cuneum densaque ad muros mole feruntur Verg. Aen. 12, 575; simul ingens clamor et omnes | turbati cunei Ibid. Inter *catervas* et *cuneos* differt: catervis et cuneis concurrere Tac. Hist. 2, 42.

198. *paupertinis,* vox minus usitata, et maxime apud posteriores occurrens (Gell. 14, 6; 20, 1; Apul. Met. 3; Ammian. 25, 2, Arnob. 6, 191; Symm. Ep. 1, 8 (14)); cfr tamen Varr. ap. Non. 2, 715.

199. *Mens humilis* = Humilitas, quae vox in versum includi non pote-

auxilii, proprio nec sat confisa paratu.
Spem sibi collegam coniunxerat, edita cuius
et suspensa ab humo est opulentia divite regno.
Ergo humilem postquam male sana Superbia mentem
vilibus instructam nullo ostentamine telis
adspicit, in vocem dictis se effundit amaris:
"Non pudet, o miseri, plebeio milite claros
adtemptare duces ferroque lacessere gentem
insignem titulis, veteres cui bellica virtus
divitias peperit laetos et gramine colles
inperio calcare dedit? Nunc advena nudus

rat. Voces *humilis, humilitas* in bonam partem solum apud christianos scriptores accipiuntur; cfr Lact. 5, 15, Sulp. Sev. Vita S. Mart. 2 etc.

'Superba mens' apud Ammianum, 'incesta mens' apud Aur. Vict. occurrunt, sensu analogo.

200. *paratu*, apparatu; cfr: Sertorius magno usu bello Marsico, paratu militum et armorum fuit Sall. fragm. ap. Gell. 2, 27; domum intravit Tyrios induta paratus (vestes Tyrios).

201. *Collegam*, commilitonem. *Collega* de societate et communitate negotii omnino dici potest, non solum de societate magistratus vel collegii proprii; cfr: et collegae quidem mei riserunt Petr. Sat. 29.

202. *suspensa*, edita, superiore loco posita; cfr: balneum constituere loco ab humore suspenso Pall. 1, 40: saxis suspensam hanc adspice rupem Verg. Aen. 8, 190.

opulentia. Ad sensum cfr: habemus publice egestatem, privatim opulentiam Sall. Cat. 56: castra referta regalis opulentiae capta Inst. 2, 14.

203. *male sana*, insana: Cfr: male sana Dido Verg. Aen. 4, 8; ego illum male sanum semper putavi Cic. Att. 9, 15.

204. *ostentamine*. Cfr supra ad vers. 176.

205. *se effundit*. Cfr: effundi in cachinnos Suet. Cal. 32; effundi in iocos Suet. Aug. 99.

dictis — — amaris, Cfr: dictis incessis amaris Ov. Trist. 3, 11, 31.

207. *ferro lacessere*. Cfr: hostem occultis telis lacessere Curt. 6, 5; ne hostes proelio lacesserent Caes. Bell. gall. 4, 11.

208. *bellica virtus;* idem ap. Cic. Mur. 10.

209. *divitias peperit*. Cfr: divitias parere Ter. Andr. 4, 5, 2.

laetos gramine colles. Cfr: prata viridi laeta facie germinant Sen. Herc. Fur. 698; hiberno laetissima pulvere farra Verg. G. 1, 101.

210. *calcare* duplicem hic sensum habet: et proprium, pedibus calcandi, et translatam, funditus vincendi et imperio premendi; cfr: cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit, nullam gentem adiit, quam non calcaverit.

nudus, pauper, spoliatus; quem tu semper nudum voluisti Cic. Fl. 21:

nititur antiquos, si fas est, pellere reges?
En, qui nostra suis in praedam cedere dextris
sceptra volunt, en, qui nostras sulcare novales,
arvaque capta manu, popularier hospite aratro,
contendunt duros et pellere Marte colonos.
Nempe hoc ridiculum vulgus! natalibus horis
totum hominem et calidos a matre amplectimur artus,
vimque potestatum per membra recentis alumni
spargimus et rudibus dominamur in ossibus omnes.
Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
congenitis cum regna simul ditionibus aequo
robore crescebant? Nati nam luce sub una

aenea desertum nuda senecta premit Ov. Heroid. 9, 154.

211. *nititur* cum infin.: summa vi Cirtam irrumpere nititur Sall. Jug. 27; ut patriam recuperare niterentur Nep. Pelop. 2.

si fas est, si fieri potest: quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro Verg. Aen. 7, 692; si licet et fas est, vates rege vatis habenas Ov. Fast. 1, 25.

212. *in praedam cedere*. Cfr: Italia cessit in pretium belli Tac. Hist. 1, 11.

213. *novales*, agros; cfr: alternis idem tonsas cessare novales Verg. G. 1, 71; impius haec tam culta nova*lia* miles habebit? Barbarus has segetes Verg. Buc. 1, 71.

214. *hospite* adiectivico usu, cfr: cur non arbor inops pinguescat ab hospite gemma | et decus externi floris adepta micet Pallad. de insit. in.; quem non aliena per arva | induit hospes honor Claud. Cons. Honor. 4, 650; hospitibus tectis Stat. Theb. 12, 479.

217. *calidos a matre*. Cfr: primos incipientem, edere vagitus et adhuc a matre rubentem Iuv. 7, 196.

218. *vimque potestatum*, i. e. naturarum, facultatum activarum. Cfr: ex alienigenis membris compacta potestas (sc. Centaurorum) Lucr. 5, 878; et simul argenti pondus plumbique potestas Lucr. 5, 1241; potestates colorum Vitruv. 7, 14; potestates vimque herbarum demonstrare Plin. 25, 5, 1.

alumni, pueri, infantis; absolute sine genitivo qui demonstret, *cuius* alumnus sit; rarum est, cfr: Faune . . . abeas . . . parvis aequus alumnis (pueris (Acr., CRUQU.), vel rectius haedis, vitulis) Hor. Carm. 3, 18, 3.

219. *spargimus*. Cfr: deos immortales sparsisse animos in corpora humana Cic. De senect. 21.

rudibus, novis, nondum expertis vel exercitis; cfr: rudis agna (recens nata) Martial. 9, 72; rudis filia Ibid. 7, 95; lunamque rudem (= novam) madefecerat Auster Claudian. Cons. Honor. 6, 541; rudes lacrimae (iuvenum, non ante curis amoris tentatorum) Ibid. Nupt. Honor. et Mar. 80; rudem carinam (qua nondum navigatum est) Lucan. 3, 193.

221. *congenitis*, simul genitis, fundatis; cfr roborum vastitas intacta

et domus et domini paribus adolevimus annis,
ex quo plasma novum de consepto paradisi
limite progrediens amplum transfugit in orbem
pellitosque habitus sumpsit venerabilis Adam,
nudus adhuc, ni nostra foret praecepta secutus.
Quisnam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
importunus, iners, infelix, degener, amens,
qui sibi tam serum ius vindicat, hactenus exsul?
Nimirum vacuae credentur frivola famae,
quae miseros optare iubet quandoque futuri
spem fortasse boni, lenta ut solatia mollem

aevis et congenita mundo Plin. 16, 2, 2.

223. *et domus et domini.* De sonorum similitudine cfr supra ad v. 15. De significatione domini (qui domui praeest) cfr: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est Cic. Off. 1, 39.

paribus, licentia metrica, brevi syllaba producta, cfr KRENKEL l. l.

224. *plasma,* quod fictum materia quadam et formatum est, vox sane "Prudentianissima"; cfr Cath. 3, 185; 7, 184; 9, 92 (plasma primum), Apoth. 308; 826; 866; Hamart 274.

consepto, diligenter et ex omnibus partibus clauso; cfr: locus conseptus cratibus pluteisque Liv. 10, 38; ager conseptus et diligenter consitus Cic. De senect. 17.

paradisi. Cfr Cath. 10, 162; Hamart. 839 (paradisicola Ibid. 928). De usu latino et vi huius vocis graecae cfr Gellium (2, 20): vivaria quae nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους Graeci appellant: quae leporaria Varro dicit. Saepissime a scriptoribus christianis noto nobis et vulgato sensu adhibetur.

227. *nudus adhuc,* sc. fuisset (nudum fuisset genus eius, genus hominum).

nostra praecepta. Vide de his praeceptis Mos. 1, 3, 5.

228. *importunus,* saepius est molestus, iniquus; sed etiam *iniucundus;* cfr: leves et futiles et importuni locutores Gell. 1, 15; obscenaeque canes, importunaeque volucres Verg. G. 1, 470. Cum hoc loco etiam conferri possunt: importunissimus hostis Cic. Catil. 2, 6; importunus atque amens tyrannus Cic. Verg. 7, 40 (quamquam apud Prudentium non de *crudelitate* agitur).

iners, sine arte et calliditate, imperitus in bellicis rebus; cfr: tendis iners docto retia nota mihi Prop. 2, 23, 70; quis ferre possit inertes homines fortissimis viris insidiari Cic. Cat. 2, 5.

231. *vacuae,* vanae, inani. Cfr: sine causa spiritum, tamquam rem vacuam, impendere ne vos quidem velle existimo Petron. Sat. 102; vacua et inanis productio verbi Gell. 11, 15.

frivola, levia, vana. Frivolum est velut quassae mentis et effluxae, nec stabilis Isid. Orig. 9, 7, 26 (Proprie frivola sunt vasa quassa vel corrupta et nullius pretii); sunt nempe falsa et frivola, | quae mundiali gloria | ceu dormientes egimus; | vigilemus, hic est veritas Cath. 1, 90.

desidiam pigro rerum meditamine palpent.
Quid ni illos spes palpet iners, quos pulvere in isto
tirones Bellona truci non excitat aere,
imbellesque animos Virtus tepefacta resolvit?
anne pudicitiae gelidum iecur utile bello est,
an tenerum pietatis opus sudatur in armis?
Quam pudet, o Mavors et Virtus conscia, talem
contra stare aciem ferroque lacessere nugas,
et cum virgineis dextram conferre choreis,
Iustitia est ubi semper egens et pauper Honestas,
arida Sobrietas, albo Ieiunia vultu,
sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperta
Simplicitas, et ad omne patens sine tegmine vulnus
et prostrata in humum, nec libera iudice sese
mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit.
Faxo ego sub pedibus stipularum more teratur
invalida ista manus; neque enim perfringere duris
dignamur gladiis, algenti et sanguine ferrum
imbuere, fragilique viros foedare triumpho."
  Talia vociferans rapidum calcaribus urget
cornipedem, laxisque volat temeraria frenis

234. *meditamine.* Cfr v. 176 et 274.

236. *Bellona,* dea belli, descripta ap. Sil. 5, 220. Cfr Verg. Aen. 8, 703.

239. *sudatur.* Cfr supra v. 166.

240. Cfr Verg. Aen. 12, 668.

241. *ferro lacessere* cfr supra ad v. 207.

nugas, leves homines, cfr: amicos habet meras nugas, Matinium, Scaptium Cic. Att. 6, 3.

242. *choreis,* pro choris vel chorearum catervis.

244. *arida,* nam Baccho non madet.

249. *stipularum,* avenarum, calamorum, foliorum.

252. *imbuerē, fragilique.* Cfr v. 41, 454, 481.

253. *Talia vociferans,* cfr Verg. Aen. 2, 679 et numerosos alios locos.

rapidum — — cornipedem. Cfr: rapidi equi Ov. Fast. 5, 592; volucris rapidissima Ov. Met. 2, 716.

254. *cornipedem,* constat solitam poetarum vocem esse pro equo: citatum cornipedem Claud. Fescenn. 1; furvi iuga celsa trahebant | cornipedes Sil. 7, 684.

volat, citato cursu fertur; cfr: medius volat ecce per hostes | vectus equo Verg. Aen. 12, 650; ille volat campis, immensaque funera miscet Val. Flacc. 6, 631.

temeraria, sine ordine et consilio; cfr: frena temeraria (equus tractari non potest) Martial. 12, 14; Iupiter in multos temeraria fulmina torquet Ov. Pont. 6, 6, 27.

hostem humilem cupiens impulsu umbonis equini
sternere, deiectamque supercalcare ruinam.
Sed cadit in foveam praeceps, quam callida forte
Fraus interciso suffoderat aequore furtim,
Fraus detestandis vitiorum e pestibus una,
fallendi versuta opifex, quae praescia belli
planitiem scrobibus violaverat insidiosis
hostili de parte latens, ut fossa ruentes
exciperet cuneos atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
cauta acies, virgis adopertas texerat oras

255. *hostem humilem* = Humilitatem, cfr v. 267.

impulsu umbonis equini (i. e. scuti equini); cfr: impulsu scutorum, conflictu corporum, coniectione telorum Cic. Caecin. 15.

256. *ruinam* interdum ipsam rem significat, quae diruta, vel detrusa est, cfr: flumina ad lavandam hanc ruinam Plin. 33, 21, 2; nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas | ostendit Ov. Met. 15, 424; si fractus illabatur orbis | impavidum ferient ruinae Hor. Carm. 3, 3, 7.

257. *callida* saepius in malam partem dicitur; cfr: versuta fraus et callida Cath. 2, 21.

forte, eo ipso loco, eo forte loco; nam non *forte suffoderat* fraus; callido id consilio fecerat.

258. *interciso — — aequore.* Locum eiusmodi fingit poeta, ut fretum angustum superimpositis pontibus et materia *intercisum* sit (cfr: intercisae venae Tac. Ann. 16, 14), ita tamen, ut certis locis foveae subessent, aquam retinentes.

Cfr infra v. 263 *(mersa).*

259. *vitiorum e pestibus,* i. e. e vitiis; cfr infra v. 304.

260. *versuta,* cfr supra (callida v. 257).

fallendi — — opifex. Cfr: 1) (cum gerundio): esse rhetoricen persuadendi opificem Quintil. 2, 15, 4; 2) (de abstractis): Zeno Cittieus ignobilis verborum opifex Cic. Tusc. 5, 11.

praescia belli. Cfr: vates | praescia venturi Verg. Aen. 6, 66; Cath. 1, 45.

261. *violaverat.* Cfr: Iliacos ferro violavimus agros Verg. Aen. 11, 255 et praesertim hoc exemplum: in huius gentis finibus mons est, quem ferro violari nefas habetur (fodi, perscindi) Iustin. 44, 3; cereale nemus violare securi Ov. Met. 8, 741.

insidiosis, cfr: v. 13 (metrum).

263. *exciperet,* cfr: humus *excipit (accipit) arida corpus Cath. 10, 11.

264. *puteum.* Cfr: puteum vitare patentem Hor. Ep. 2, 2, 135. Puteus perpetuas habet aquas ex terra manantes, cisterna aquam pluviam servat.

deprendere, animadvertere. Possit qui rumpere terras | et Styga transmisso tacitam deprendere visu Val. Flacc. 1, 468 de Lynceo.

265. *oras.* Ora est pars extrema vel suprema alicuius rei: prius oras po-

et superimposito simularat caespite campum.
At regina humilis, quamvis ignara, manebat
ulteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
venerat, aut foveae calcarat furta malignae.
Hunc eques illa dolum, dum fertur praepete cursu
incidit et caecum subito patefecit hiatum:
prona ruentis equi cervice involvitur, ac sub
pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At virtus placidi moderaminis, ut levitatem
prospicit obtritam monstri sub morte iacentis

cula circum | contingunt mellis dulci flavoque liquore Lucret. 4, 13; oras vulneris sutura iungit Cels. 5, 26, 23. Inde *ora fluminis* vel, ut hoc loco, *fossae.*

266. *superimposito.* Cfr: aut superimposita celatur arundine damnum Ov. Met. 9, 100.

267. *regina humilis,* Humilitas; cfr v. 255.

268. *opertum.* Cfr: telluris operta subire Verg. Aen. 6, 140.

269. *furta.* Saepe de fraude et insidiis: furtis incautum decipit hostem Ov. Met. 13, 104; furto, non praelio opus esse: intempesta nocte opprimi hostes posse Curt. 4, 13.

malignae, malae, calamitosae, cfr: sorbebatque rotas maligna tellus (voraginosa et luto oppleta; fortasse tamen significat *avara* sensu translato?) Stat. Silv. 4, 3, 29. Constat malignum saepe parcum, avarum, interdum etiam angustum significare, cfr supra v. 33.

270. *praepete cursu.* Cfr: praepeti cursu evolat | summam citato vix gradu tangens humum Senec. Phaedr. 1061.

271. *hiatum.* Cfr: cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit Cic. Offic. 3, 9.

272. *involvitur.* Cfr: ruit ille recedens | et miser oppositis a tergo involvitur aris, | in caput inque humeros Verg. Aen. 12, 291.

ac sub. Praepositionem clausulam invenimus interdum, ex. gr. Hor. Epist. 2, 1, 36, 37. Monosyllaba in fine versus posita, quorum alterum cum initio sequentis versus arte coniunctum est vide Hor. Sat. 2, 8, 48, 58; Epist., 2. 34, 35, 65; 5, 21; 17, 31; 18, 16, 17; 19, 17, etc.

273. *sub pectoris impressu. Impressu* vox est insolita, vulgo dicitur *impressione.*

fracta inter crura sc. equi.

274. *virtus placidi moderaminis* nova expressio Humilitatis, cfr vv. 255, 267.

moderaminis. Amat Prudentius verba in *-amen* exeuntia. Cfr: cruciamen Cath. 10, 90; palpamen Ham. 303; peccamen Ibid. 619, Contra Symm. 2, 1043 etc.; speculamen Apoth. 20; sinuamen v. infra 871. Vide etiam supra v. 176.

levitatem; de metro vide v. 13 'Levitatem monstri' = monstrum levitatis, superbiae = Superbia. Cfr v. 304.

275. *prospicit,* ante se videt. Cfr: prospexi Italiam summa sublimis ab unda Verg. Aen. 6, 357; qui

intendit gressum mediocriter, os quoque parce
erigit et comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit et offert
ultorem gladium, laudisque inspirat amorem.
Illa cruentatam correptis crinibus hostem
protrahit et faciem laeva revocante supinat.
Tunc caput orantis flexa cervice resectum
eripit ac madido suspendit colla capillo.
Exstinctum vitium sancto Spes increpat ore:
"Desine grande loqui: frangit Deus omne superbum,
magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Disce supercilium deponere, disce cavere
ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi:
scandere celsa humiles et ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris animisque Goliam
invalida cecidisse manu: puerilis in illum
dextera fundali[1] torsit[2] stridore lapillum,

[1] funali **h E P T 1** α fudali **1 R** fundali **2** $\alpha\beta$ **ccfglmor**
[2] intorsit **h**

moenia prospicis urbis | Tarpeia de rupe Lucan. 1, 195.

sub morte, in morte, mortua vel moriente. Cfr: sub decessu suo Hirt. B. G. 8, 49; sub exitu vitae Suet. Claud, 43; sub somno Cels. 3, 18. Cfr etiam supra v. 222 *(luce sub una).*

279. *ultorem gladium.* Cfr. gladium ultorem Levit. 20, 25 (Vulg.); ultor iniquitatum gladius est Iob. 19, 20 (Ibid.)

281. *revocante*, retrahente.

supinat, supinam trahit; cfr: praecipitatque retro iuvenem, atque in terga supinat Stat. Theb. 6, 789.

283. *colla,* collum, cfr *ora,* vide supra v. 31, 191; cfr praeterea v. 352 et Praef. Psych. 33.

285. *grande loqui*, superba loqui, cfr: grande fremens Stat. Theb. 12, 684.

286. *crepant,* dissolvuntur; *crepare* cum sonitu dissolvi interdum significat; cfr: supra ad v. 146.

287. *supercilium deponere*, superbiam abiicere, cfr Plin. 11, 37 (51) 1; Iuven. 6, 166.

288. *sublime minaris,* emines; cfr: geminique minantur | in caelum scopuli Verg. Aen. 1, 162.

290. Luc. 14, 11; Matth. 19, 30; Cfr Hor. Carm. 1, 34, 12.

291. *Goliam.* Eadem nominis forma semper utitur Prudentius; cfr Ham. 784; Ditt. 76.

293. *fundali*, ad fundam pertinente.

traiectamque cavo penetravit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
dum tumet indomitum, dum formidabile fervet,
dum sese ostendat clipeo, dum territat auras,
expertus pueri quid possint[1] ludicra parvi,
succubuit teneris bellator turbidus annis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus
florentes animos sursum in mea regna tetendit,
servatur quia certa mihi domus omnipotentis
sub pedibus domini meque ad sublime vocantem
victores caesa culparum labe capessunt."
Dixit, et auratis praestringens aëra pennis,

[1] possent **h** Rat. **m** possunt **o**

294. *cavo*, nam lapidem rotundum sibi fingit poeta et itaque impressionem in caput Goliae factam cavam.

295. *rigidus.* Cfr: barbariem rigidos effugiamque Getas Ov. Trist. 5, 1, 45. Cfr supra v. 109.

truculentus. Cfr: ego agrestis, saevus .... truculentus Ter. Adelph. 5, 4, 10; nulla Getis toto gens est truculentior orbe Ov. Pont. 2, 7, 31.

296. *tumet indomitum* etc. Amat Prudentius adiectiva adverbiorum more posita; cfr supra v. 129; taetrum flagrat Cath. 4, 22; aeternum iacet Perist. 2, 508. (V. Kantecki p. 77).

formidabile fervet. Cfr supra ad v. 15.

299. *teneris — — annis,* i. e. puero. Cfr: teneriores annos Quintil. 2, 2, 3.

turbidus Cfr v. 22 et 773.

300. *pube.* Dici solet, sensu proprio, 'pube florens' i. e. admodum iuvenis. Hic sensu translato: pube (virtutis) florentes (animos), i. e. vi et robore virtutis excellentes.

302. *certa,* quam certe habebo, quae non fallit; cfr: aguntur certissima populi Romani vectigalia Cic. Pro lege Manilia 2.

omnipotentis, de metro cfr v. 13. Omnipotens solita est Prudentii vox ad Deum vel Christum nominandum usurpata; cfr Cath. 3, 83; 10, 64.

303. *ad sublime vocantem.* Cfr: sonus natura in sublime fertur, Cic. Nat. D. 2, 56; iactare aliquid in sublime Suet. Claud. 27; Oth. 2; aqua surgens in sublime Plin. 31, 31, 1.

304. *caesa culparum labe* i. e. caesis culpis. 'Labes' de personis, cfr: habeo quem opponam labi illi atque caeno Cic. Sext. 8; illa labes ac flamma reipublicae Cic. Dom. 1, labes atque pernicies provinciae Siciliae Cic. Verr. 2, 1. Cfr pestis v. supra v. 91.

capessunt. Cfr: animus superiora capessit Cic. Tusc. 1, 18.

305. *Dixit.* Cfr supra v. 98.

aëra pennis. Eandem clausulam invenimus Cic. Arat. 48 (quae volat et geminis secat aëra pennis); per liquidum volucris vehar aëra pennis Tib. 4, 1, 209; seu plenum certis interroget aëra pennis Val. Flacc. 1, 231.

praestringens, transiens, cfr:

in caelum se virgo rapit: mirantur euntem
virtutes, tolluntque animos in vota, volentes
ire simul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis seque ad sua praemia servant.
Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria exstinctae iam dudum prodiga famae,
delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
perdita deliciis, vitae cui causa voluptas,

a supercilio Gerasi fluminis adusque Danubium Taifalorum terras praestringens, muros altius erigebat Ammian. 31, 3.

306. *se — — rapit,* sine exemplo, sed cfr: alumna, celerem quo rapis tectis pedem Senec. Med. 380; rapitur per valles improbus amnis Petron. Sat. 137.

307. *tollunt — — animos* postquam filiolum peperit, animos sustulit Plaut. Truc. 2, 8, 10; re in secunda tollere animos et in mala demittere Lucil. ap. Non. 4, 134; tollere animos alicui Liv. 3, 7.

308. *ni retardent* elliptice; cfr: sperabatur rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset Tac. Ann. 2, 46.

309. *seque ad sua praemia servant.* Cfr: ego quoque ad ea tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras Cic. Planc. 5; ad Herculeos servaberis arcus Ov. Met. 12, 309.

Luxuria et Sobrietas (vv. 310—453).

310. *occiduis mundi de finibus.* Multum de huius loci explicatione disputaverunt viri docti. Arevalus putavit urbem Romam, quae ut caput orbis, ita caput luxuriae erat, intelligendam esse; Dressel, qui ejusdem sententiae est, Clem. Rom. Ep. ad Iac. 1 citat (ὁ τῆς δύσεως τὸ σκοτεινότερον τοῦ κόσμου μέρος . . . . μέχρις ἐνταῦθα τῇ Ῥώμῃ γενόμενος). Alii *vergentem mundi vesperem* significari crediderunt (Nebr). Equidem neutri assentior. Nihil esse mihi videtur, quod de verborum sensu proprio decedamus. Orae orbis occidentales semper ad occasum, mortem, tenebras pertinent, orae contra orientales, ubi solis lux prodit, lucis et vitae, paradisi et felicitatis loci sunt. Paradisus semper in oriente situs fingitur, contra abyssus, tartarus in occidentem, ubi immensum mare Atlanticum hanc opinionem firmabat. Credo igitur Prudentium dicere voluisse: e tartaro, e tenebrarum et vitiorum sede.

311. *prodiga famae,* famae non consulens, famam non cavens. Cfr: animae . . . . prodigum Paulum Hor. Carm. 1, 12, 37; sanguinis atque animae prodige Galle, tuae Ov. Amor. 8, 406.

312. *delibuta,* uncta. Cfr: composito et delibuto capillo per forum volitare Cic. Rosc. Am. 46; translate: senium luxu delibatum Plin. 4, 26, 12. De metri licentia cfr v. 687; v. Krenkel pag. 13.

languida, cfr: mollis, languidus, enervatus omnia ad voluptatem corporis referens Cic. Orat. 1. 52.

313. *perdita deliciis.* Cfr: perdita . . . . muliebribus causis Tac. An. 12, 64.

elumbem mollire animum, petulanter amoenas
haurire illecebras et fractos solvere sensus.
Ac tunc pervigilem ructabat marcida coenam,
sub lucem quia forte iacens ad fercula, raucos
audierat lituos, atque inde tepentia linquens
pocula lapsanti per vina et balsama gressu,
ebria calcatis ad bellum floribus ibat.

vitae causa, quod vitae pretium suum dat, quod efficit, ut vivere velit.

314. *elumbem,* debilem, fractum; translate (de dicendi genere): Ciceronem . . . . male audisse . . . a Bruto, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem Tac. Dial. 18.

mollire subiectum (praed.: causa [est]), coordin. cum *voluptas.*

315. *haurire,* per similitudinem saepe translate usurpatur; cfr: quoque adfluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem Cic. Tusc. 5, 6 (16), ubi tamen vox *sitientem* imaginem profert; oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes Liv. 27, 51; hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto | Dardanus Verg. Aen. 4, 661; unde laboris | plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus Hor. Sat. 1, 2, 78.

illecebras. Apud alios scriptores semper fere cum genitivo aut adposito aut certe subaudito (voluptatis, vitii etc.) construitur hoc verbum. Hoc loco adiectivum illud *amoenos* supra positum vice huius genitivi fungitur.

fractos, molles, effeminatos, proleptice. Cfr: fractique enervi corpore gressus Petron. Sat. 119.

solvere. Cfr: infantiam statim deliciis solvimus Quint. 1, 2, 6.

316. *pervigilem,* nocte captam, cfr: prorsus instabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam Apul. Met. 9, 11.

marcida, vigore carens cfr: huc incede gradu marcidus ebrio Senec. Med. 69; alii marcidi somno hesternaque coena redundantes Plin. Paneg. 63, 3.

317. *sub lucem* paulo ante solis ortum. Cfr: sub lucem Verg. G. 1, 445; sub ortum lucis Liv. 27, 15; sub lumina prima Hor. Sat. 2, 7, 33.

iacens ad fercula. Cfr: ad sigillorum pedes | iacentis Perist. 10, 151.

fercula — linquens pocula cyathos et fercula liquit Cath. 10, 74.

raucos — — lituos rauco praetoria classica cornu | flare Prop. 3, 2, 41; Martius . . aeris rauci canor Verg. G. 4, 71.

318. *tepentia.* Etiam apud antiquos calidam vino mixtam potabant.

319. *per vina et balsama,* quae in terram defluxerunt, ut pedes lapsarent.

lapsanti — — gressu, lapsantem . . . | firmabat gressum Sil. 3, 632.

balsama. Balsama in festis, praesertim in nuptialibus spargebantur: initio noctis e convivio nuptiali vino madens et flagrans balsama Venus Apul. Met. 6, 11.

320. *calcatis floribus,* calcant et pedibus lilia candidis Cath. 5, 124.

Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! Non ales arundo
nervo[1] pulsa fugit, nec stridula lancea torto
emicat amento, frameam nec dextra minatur.
Sed violas lasciva iacit, foliisque rosarum
dimicat et calathos inimica per agmina fundit.
Ille eblanditis virtutibus halitus illex
inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,

[1] Nervum **Put.** h 1 E

322. *saucia — — corda* saepe de amore. Cfr: at regina gravi iamdudum saucia cura Verg. Aen. 4, 1; mens saucia amore Lucret. 4, 1044; vir Pieria pellice saucius Hor. Carm. 3, 10, 15.

mirantum, cupidine captorum. Forma in — *tum* saepe utitur Prudentius (plerumque metri causa); cfr Cath. 6, 41, 137; 7, 95, 9, 59. (Vide Kantecki l. l. p. 48).

323. *ales,* velociter volans, invecta. Cfr: alitis austri Verg. Aen. 8, 430; passu volat alite virgo Ov. Met. 10, 587; alite plumbo (funda emisso) Sil. 3, 365.

arundo, sagitta; cfr: haeret lateri letalis arundo Verg. Aen. 4, 73.

324. *nervo pulsa,* chorda arcus impulsa, cfr: erupere .... nervo pulsante sagittae Verg. G. 4, 313.

stridula lancea, stridula fraxinus Claudian. in Rufin. 3, 218; sonitum dat stridula cornus et auras | certa secat Verg. Aen. 12, 267.

324—325. *torto emicat amento.* Amentum erat lorum, qua digiti inserebantur ut hastas vel lanceas emissas retro trahere possent. Cfr: inserit amento digitos .... nec plura moratus | in iuvenem torsit iaculum Ov. Met. 12, 321; flatus Poenorum tela secundant | et velut amento contorta hastilia turbo | adiuvat Sil. 9, 508.

325. *frameam.* Framea secundum Tacitum vox est Germanorum quae hastam significat; apud posteriorum aetatum scriptores pro gladio, praesertim gladio utrinque acuto, usurpatur: est gladius ex utraque parte acutus .... dicitur .. omnis gladius framea Isid. Orig. 18, 6, 3.

327. *calathos fundit,* sc. qui continent flores. Calathus tamen etiam ipsos flores vel florum calices significare potest: calathisque virentia lilia canis Colum. 10, 99; ridentis calathi patefecit honorem | prodens inclusi semina densa croci Auson. Idyll. 14, 31.

328. *eblanditis,* voluptate captis, emollitis (non 'fucatis, simulatis' ut vult lex. Forcellini—De Vit v. vocem ebl.) cfr: aures cadentis apte orationis modis eblanditae Gell. 11, 13.

illex, cfr: qui illi malae rei tantae fuimus illices (= qui eum illeximus) Plaut. Poen. 3, 4, 35; omittendae sunt huius praesentis vitae illices voluptates Lactant. Div. 7, 27.

329. *labefacta per ossa.* Imitatio Vergilii: notusque medullas | intravit calor et labefacta per ossa cucurrit (de amore) Verg. Aen. 8, 389.

et male dulcis odor domat ora et pectora et arma,
ferratosque toros obliso robore mulcet.
Deiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt
turpiter, heu, dextris languentibus obstupefacti
dum currum varia gemmarum luce micantem
mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
et solido ex auro pretiosi ponderis axem
defixis inhiant obtutibus et radiorum
argento albentem seriem, quam summa rotarum
flexura electri pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditionis amorem

331. *ferratos,* ferro armatos.

toros, nervos crassos et duros, cfr: o pectora, o terga, o lacertorum tori Cic. Tusc. 2, 9 (vert. Soph.); ingentes humeros, spatiosaque pectoris ossa, | protulit horrendosque toris informibus artus Val. Flacc. 4, 244.

331. *obliso,* fracto. Raro occurrit hoc verbum, cfr: centurionum aliorumque officialium, parva magnaque poscentium, intolerandi impetus oblidantur Cod. Theod. 1, 16, 7.

mulcet, mollit; cfr: quique gladiis domari poterant, posse iure mulceri Vellei. 2, 117; mulcentem tigres et agentem carmine quercus (de Orpheo) Verg. G. 4, 510.

333. *obstupefacti,* immobiles torpore defixi (non idem ac mirantes) cfr: obstupefactis nervis ac torpore hebetatis artubus Val. Max. 3, 8, 6.

335. *bracteolis crepitantia lora.* Bractea, dimin. bracteola, est tenuis lamina metalli cuiusdam, quae alicui rei quasi tegumen vel ornamentum superimposita est. Cfr: talis erat species auri frondentis opaca | ilice; sic leni crepitabat bractea vento (de ramo aureo) Verg. Aen. 6, 209; sacrilegus qui | rodat inaurati femur Herculis et faciem ipsam | Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat (de inauratis statuis) Iuvenal. 13, 150.

336. *solido ex auro.* Cfr: solido de marmore templum Verg. Aen. 6, 69; solidoque adamante columnae Ibid. 552; in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto | Gangaridum faciam Verg. G. 3, 26.

pretiosi ponderis, pondus erat pretiosum, quia axis solido auro factus erat, unde gravior solito.

337. *inhiant.* Cfr: illam omnis tectis agrisque effusa iuventus | turbaque miratur matrum et prospectat euntem | attonitis inhians animis Verg. Aen. 7, 812. Cfr infra v. 457.

339. *flexura,* curvatura; cfr: offensus .... angustiis flexurisque vicorum Suet. Ner. 38; (virtus) recta est; flexuram non recipit Senec. Ep. 71.

electri pallentis, electrum h. l. non est succinum illud, sed metallum, scilicet aurum argento mixtum (Cfr: Plin. 33, 23, 1; Isid. Orig. 16, 24, 2): Hic (in Hispania) omne metallum: | electri gemino pallent de semine venae. Sil. 1, 229.

340. *in deditionis amorem.* De amore sensu desiderii abstracti,

Non tamen illa pedes, sed curru invecta venusto
saucia mirantum capiebat corda virorum.
O nova pugnandi species! Non ales arundo
nervo [1] pulsa fugit, nec stridula lancea torto
emicat amento, frameam nec dextra minatur.
Sed violas lasciva iacit, foliisque rosarum
dimicat et calathos inimica per agmina fundit.
Ille eblanditis virtutibus halitus illex
inspirat tenerum labefacta per ossa venenum,

[1] Nervum Put. h 1 E

322. *saucia — — corda* saepe de amore. Cfr: at regina gravi iamdudum saucia cura Verg. Aen. 4, 1; mens saucia amore Lucret. 4, 1044; vir Pieria pellice saucius Hor. Carm. 3, 10, 15.

mirantum, cupidine captorum. Forma in — *tum* saepe utitur Prudentius (plerumque metri causa); cfr Cath. 6, 41, 137; 7, 95, 9, 59. (Vide Kantecki l. l. p. 48).

323. *ales*, velociter volans, invecta. Cfr: alitis austri Verg. Aen. 8, 430; passu volat alite virgo Ov. Met. 10, 587; alite plumbo (funda emisso) Sil. 3, 365.

arundo, sagitta; cfr: haeret lateri letalis arundo Verg. Aen. 4, 73.

324. *nervo pulsa*, chorda arcus impulsa, cfr: erupere . . . . nervo pulsante sagittae Verg. G. 4, 313.

stridula lancea, stridula fraxinus Claudian. in Rufin. 3, 218; sonitum dat stridula cornus et auras | certa secat Verg. Aen. 12, 267.

324—325. *torto emicat amento.* Amentum erat lorum, qua digiti inserebantur ut hastas vel lanceas emissas retro trahere possent. Cfr: inserit amento digitos . . . . nec plura moratus | in iuvenem torsit iaculum Ov. Met. 12, 321; flatus Poenorum tela secundant | et velut amento contorta hastilia turbo | adiuvat Sil. 9, 508.

325. *frameam.* Framea secundum Tacitum vox est Germanorum quae hastam significat; apud posteriorum aetatum scriptores pro gladio, praesertim gladio utrinque acuto, usurpatur: est gladius ex utraque parte acutus . . . . dicitur . . omnis gladius framea Isid. Orig. 18, 6, 3.

327. *calathos fundit*, sc. qui continent flores. Calathus tamen etiam ipsos flores vel florum calices significare potest: calathisque virentia lilia canis Colum. 10, 99; ridentis calathi patefecit honorem | prodens inclusi semina densa croci Auson. Idyll. 14, 31.

328. *eblanditis*, voluptate captis, emollitis (non 'fucatis, simulatis' ut vult lex. Forcellini—De Vit v. vocem ebl.) cfr: aures cadentis apte orationis modis eblanditae Gell. 11, 13.

illex, cfr: qui illi malae rei tantae fuimus illices (= qui eum illeximus) Plaut. Poen. 3, 4, 35; omittendae sunt huius praesentis vitae illices voluptates Lactant. Div. 7, 27.

329. *labefacta per ossa.* Imitatio Vergilii: notusque medullas | intravit calor et labefacta per ossa cucurrit (de amore) Verg. Aen. 8, 389.

et male dulcis odor domat ora et pectora et arma,
ferratosque toros obliso robore mulcet.
Deiciunt animos, ceu victi, et spicula ponunt
turpiter, heu, dextris languentibus obstupefacti
dum currum varia gemmarum luce micantem
mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
et solido ex auro pretiosi ponderis axem
defixis inhiant obtutibus et radiorum
argento albentem seriem, quam summa rotarum
flexura electri pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditionis amorem

331. *ferratos*, ferro armatos.

toros, nervos crassos et duros, cfr: o pectora, o terga, o lacertorum tori Cic. Tusc. 2, 9 (vert. Soph.); ingentes humeros, spatiosaque pectoris ossa, | protulit horrendosque toris informibus artus Val. Flacc. 4, 244.

331. *obliso*, fracto. Raro occurrit hoc verbum, cfr: centurionum aliorumque officialium, parva magnaque poscentium, intolerandi impetus oblidantur Cod. Theod. 1, 16, 7.

mulcet, mollit; cfr: quique gladiis domari poterant, posse iure mulceri Vellei. 2, 117; mulcentem tigres et agentem carmine quercus (de Orpheo) Verg. G. 4, 510.

333. *obstupefacti*, immobiles torpore defixi (non idem ac mirantes) cfr: obstupefactis nervis ac torpore hebetatis artubus Val. Max. 3, 8, 6.

335. *bracteolis crepitantia lora.* Bractea, dimin. bracteola, est tenuis lamina metalli cuiusdam, quae alicui rei quasi tegumen vel ornamentum superimposita est. Cfr: talis erat species auri frondentis opaca | ilice; sic leni crepitabat bractea vento (de ramo aureo) Verg. Aen. 6, 209; sacrilegus qui | rodat inaurati femur Herculis et faciem ipsam | Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat (de inauratis statuis) Iuvenal. 13, 150.

336. *solido ex auro.* Cfr: solido de marmore templum Verg. Aen. 6, 69; solidoque adamante columnae Ibid. 552; in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto | Gangaridum faciam Verg. G. 3, 26.

pretiosi ponderis, pondus erat pretiosum, quia axis solido auro factus erat, unde gravior solito.

337. *inhiant.* Cfr: illam omnis tectis agrisque effusa iuventus | turbaque miratur matrum et prospectat euntem | attonitis inhians animis Verg. Aen. 7, 812. Cfr infra v. 457.

339. *flexura*, curvatura; cfr: offensus . . . . angustiis flexurisque vicorum Suet. Ner. 38; (virtus) recta est; flexuram non recipit Senec. Ep. 71.

electri pallentis, electrum h. l. non est succinum illud, sed metallum, scilicet aurum argento mixtum (Cfr: Plin. 33, 23, 1; Isid. Orig. 16, 24, 2): Hic (in Hispania) omne metallum: | electri gemino pallent de semine venae. Sil. 1, 229.

340. *in deditionis amorem.* De amore sensu desiderii abstracti,

sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriae servire volens dominaeque fluentis
iura pati et laxa ganearum lege teneri.
  Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus
Sobrietas, dextro socios decedere cornu
invictamque manum quondam sine caede perire.
Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
dux bona praetulerat, defixa cuspide sistit,
instauratque levem dictis mordacibus alam,
exstimulans animos nunc probris, nunc prece mixta:
"Quis furor insanas agitat caligine mentes,
quo ruitis, cui colla datis, quae vincula tandem —
proh pudor — armigeris amor est perferre lacertis,
lilia luteolis interlucentia sertis

cupidinis aliquid faciendi vel investigandi intellecto, cfr: insitus est menti cognitionis amor Cic. Fin. 4, 7; sic omnes amor unus habet decernere ferro Verg. Aen. 12, 282.

342. *dominaeque fluentis*. Cfr: discunt haec (pueri) miseri, antequam sciunt vitia esse, inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas adferunt. Quintil. 1, 2, 8; incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentes Senec. Tranquill. 15; madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo Augustin. Civ. D. 7, 26; otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens Vellei. 1, 6 et 2, 88.

344. *ingemuit* cum accus., cfr: ingemuere iacentem Stat. Theb. 9, 2.

346. *quondam* cum *invictam* coniungendum est.

348. *dux bona*. Cfr: dux bone Cath. 5, 1.

349. *instaurat* saepe cum verbis, quae bellum vel proelium significant, coniungitur, item *instaurari* templa, et aedificia dicuntur, exercitus autem vel alae nunquam alibi, quantum vidi.

350. *exstimulans*. Cfr: his solita est dictis exstimulare virum Ov. Fast. 6, 588; exstimulare milites et impellere in eversionem Tac. Hist. 1, 65.

351. *Quis furor*. Cfr: quis furor est census corpore ferre suos! Ov. Ars Am. 3, 172.

caligine. Cfr: caeca mentem caligine . . . consitus Catull. 64, 207.

352. *colla datis*, ceditis, vos captivos capi sinitis; cfr: India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho Propert. 3, 1, 15 (2, 10, 15). Subdere colla fortunae Sil. 10, 216.

353. *amor*, cupiditas, cum infinitivo rarissime construitur; cfr tamen: si tantus amor casus cognoscere nostros Verg. Aen. 2, 10; sic omnes unus habet decernere ferro Verg. Aen. 12, 282.

354. *luteolis*. Luteus color cum Venere coniunctus erat; Hymenaeus luteum soccum habet; v. Catull. 61, 10; lutei coloris video honorem antiquis-

et ferrugineo vernantes flore coronas?
His placet adsuetas bello iam tradere palmas
nexibus, his rigidas nodis innectier ulnas,
ut mitra caesariem cohibens aurata virilem
combibat infusum croceo religamine nardum,
post inscripta oleo frontis signacula, per quae
unguentum regale datum est et chrisma perenne,
ut tener incessus vestigia syrmate verrat,

simum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum Plin. 21, 22, 2.

355. *ferrugineo*, sordido, funesto, cfr: ferrugineus Plutonis amictus Claudian. Rapt. Pros. 2, 275.

356. *His — — nexibus* sc. floreorum sertorum; *palmas*, manus.

357. *rigidas — — ulnas*, firmas, admixto sensu translato severitatis, cfr: vir invicti cupiditatibus animi et rigidae innocentiae Liv. 39, 40 (de Catone).

358. *mitra* tegumentum capitis, in angustum desinens, feminarum proprium erat: Polygnotus primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit Plin. 35, 35, 1; ite quibus grata est picta lupa barbara mitra Iuvenal. 3, 66; simularat anum, mitraque capillos | presserat Ov. Fast. 4, 517; illa levi mitra canos redimita capillos Ibid. 3, 669: ille etiam picta redimitus tempora mitra | innitens baculo positis ad tempora canis | adsimulavit anum Metam. 14, 654. Tum Bacchi attributum est cfr: cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi: furabor Phoebi, si modo plectra dabis Prop. 5 (4), 2, 31. Denique virorum effeminatorum: P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis, a strophio est factus repente popularis Cic. Har. 21.

nardum, unguento e nardo frutice confecto: syrio madefactus tempora nardo Tibull. 3, 6, 63.

360. *signacula*, signum, figuram crucis. Signaculum proprie est figura, quam inscribit anulus vel aliud sigillum. Tum etiam signum est, quod tirones accipiebant, quo milites esse dignoscerentur (Forc.). Cfr: milita et accipe signaculum. — Ego Christianus sum; non licet mihi plumbum collo portare. — Non accipio signaculum saeculi, et si signaveris, rumpo illud (omnia apud Act. S. Maximiliani 2).

361. *unguentum regale*. Regale unguentum describitur a Plinio (13, 2, 10 seqq.).

chrisma i. e. unguentum, vox graeca, a scriptoribus christianis saepe adhibitum, cfr: te chrismate innotatum Prudent. Cath. 6, 128.

362. *tener incessus*, in incessu molliorem esse Ov. Ars am. 3, 306.

syrmate. Syrma, v. gr., vestem longam et solum verrentem significat, mollitorum hominum et lascivorum, tum quoque tragoedorum propria. Cfr: et sinus laxi fluidumque syrma (de veste Bacchi), Sen. Oedip. 423; cum parum forti gradu | auro decorum syrma barbarico trahit Herc. Fur. 474.

sericaque infractis fluitent ut pallia membris
post immortalem tunicam, quam pollice docto
texuit alma Fides, dans impenetrabile tegmen
pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
Inde ad nocturnas epulas, ubi cantharus ingens
dispuit effusi spumantia damna Falerni,
in mensam cyathis stillantibus, uda ubi multo
fulcra mero veterique toreumata rore rigantur.
Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille
fons patribus de rupe datus, quem mystica virga

363. *serica.* Tenues erant lanae ex arboribus collecta cfr Plin. 6, 20, 2. Ammian. 23, 6. (Sericum dictum quia id Seres primi miserunt; vermiculi enim ibi nasci perhibentur, a quibus haec circum arbores fila ducuntur Isid. Orig. 19, 27.) Serica vestis Plin. 21, 8, 1; Sericum et purpuram indutae Christum induere non possunt. Cypr. Hab. Virg. 13. Observandum est primis temporibus magnam Christianorum multitudinem ex pauperibus constitisse, qui pretiosas vestes habere non poterant et iis, qui talia habebant, facile invidebant.

infractis. Cfr: torpent infractae ad praelia vires Verg. Aen. 9, 499.

364. *tunicam.* Christianis satis esse debebat *tunica sola* vestiri, cfr v. 614. Cfr de tunica et pallio notum illud *tunica propior pallio est,* nam pallium exterior vestis erat, tunica interior. De 'immortali tunica' cfr Paul. Ep. Rom. 13, 14.

pollice docto. Cfr: et pollice docto, | iam parat auratas trabeas Claudian. Cons. Prob. et Olybr. 177.

367. *cantharus*, magnum vas vinarium oblongae formae, unde vinum in minora vasa bibendi causa effundebatur.

368. *spumantia damna,* damna hoc sensu sine ex. *Falerni,* cfr Cath. 9, 28.

370. *fulcra.* Fulcra sunt ornamenta lectorum, dicta quod in iis fulcimur, id est sustinemur, vel quod toros fulciant, sive caput, quae reclinatoria vulgus appellat Isid. Orig. 19, 26, 5; Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro Propert. 5 (4), 7, 3; lucent genialibus altis | aurea fulcra toris Verg. Aen. 6, 604.

toreumata, res caelatae, insculptae (a τορέω); saepius de vasis dicitur (habere eum perbona toreumata: in his pocula duo Mentoris manu, summo artificio facta Cic. Verr. 6, 18); sed etiam de aliis rebus, in quibus caelatae figurae sunt; hoc loco aut de figuris in lectorum fulcris agitur aut, quod fortasse verisimilius est, de vasis quorum figuras exteriore parte exstantes superfluente vino rigabantur.

371. *excidit animis.* Cfr: necdum etiam causae irarum saevique dolores | exciderant animo Verg. Aen. 1, 29.

erĕmi correpta paenultima, cfr Cath. 5, 89; ad vocis usum cfr: Moyses in eremo simulacrum serpentis ex aere fecit Tertull. Idolol. 5.

mystica, occultis viribus praedita; ita thyrsum Bacchicum saepe mysticum vocatum esse constat.

elicuit scissi salientem vertice saxi?
Angelicusne cibus prima in tentoria vestris
fluxit avis, quem nunc sero felicior aevo
vespertinus edit populus de corpore Christi?
His vos imbutos dapibus iam crapula turpis
Luxuriae ad madidum rapit importuna lupanar:
quosque viros non ira fremens, non idola bello
cedere compulerant, saltatrix ebria flexit.
State, precor, vestri memores, memores quoque Christi.
Quae sit vestra tribus, quae gloria, quis Deus et rex,
quis Dominus, meminisse decet. Vos nobile Iudae
germen ad usque Dei genitricem, qua Deus ipse

373. *vertex* interdum idem ac superficies est; cfr vertex terrae Psalm. 13, 50 (Vulg.).

374. *angelicusne cibus,* (manna); cfr panibus angelicis albent tentoria patrum Ditt. 41: implet castra cibus tunc quoque ninguidus | illabens gelida grandine densius | his mensas epulis, hac dape construunt, | quam dat sidereo Christus ab aethere Cath. 5, 97—100.

375. *fluxit,* decidit (de caelo). Quid poma vellis acerba manu? Sponte fluent matura sua Ov. Amor. 2, 14, 24. Excident gladii, fluent arma de manibus Cic. Phil. 12, 3.

386. *vespertinus — — populus* in mundi vespere, seris temporibus natus.

377. *imbutos,* imbutum caelesti nectare corpus Ov. Met. 4, 252.

378. *madidum,* ebrium. Faciam, ut sit madidus sobrius Plaut. Amph. 3, 4, 18.

importuna, incommoda, turpis, nullum temporis vel loci respectum habens. Cfr: importunissimae libidines Cic. Verr. 6, 50.

379. *idŏla,* correpta paenultima; ita etiam Praef. 41, Symm. 2, 48, Sedul. 5, 146. Cfr supra *erĕmi* v. 371.

bello opponitur *ludo,* quo saltatrix ebria animos flexerat.

380. *cedere compulerant,* desistere coepto | compulit Lucan. 3, 141; pacem petere compellitur Iustin. 30, 3.

flexit, movit, vicit. Cfr: flectere si nequeo superos, Acheronta movebo Verg. Aen. 7, 312.

381. *state,* constanter pugnantes permanete: cum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt Liv. 22, 60.

382. *Deus et rex* Deum patrem spectat, *dominus* autem Christum; antiqui moris fuisse ita dicere constat. Cfr epistolas Pauli (multis et notissimis locis).

383. *germen.* Cfr: Nympharum coetus et celsa Tonantis | germina Claudian. Rapt. Pros. 2, 76; pars illa potentior exstet, | quae germen ab aethere traxit Cath. 10, 32; germine nobilis Eulalia Perist. 3, 1.

ad usque Dei genitricem. His verbis stemmata illa Matthaei et Lucae evangelistarum libris inserta spectare videtur poeta.

esset homo[1], procerum venistis sanguine longo[2].
Excitet egregias mentes celeberrima David
gloria continuis bellorum exercita curis.
Excitet et Samuel, spolium qui divite ab hoste
attrectare vetat, nec victum vivere regem
incircumcisum patitur; ne praeda superstes
victorem placidum recidiva in praelia poscat,
parcere iam capto crimen putat ille tyranno,
at vobis contra vinci et succumbere votum est.
Poeniteat, per si qua movet reverentia summi
numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
proditione sequi; si paenitet, haud nocet error.
Paenituit Ionathan ieiunia sobria dulci
conviolasse favo sceptri mellisque sapore,

[1] et procerum h [2] longe h

385. *esset,* finaliter constructum, ut consilium aeternum Dei exprimeretur.

sanguine longo, serie stemmatis longa; cfr: genus alto a sanguine Teucri Verg. Aen. 4, 230.

386. *egregias mentes,* Cfr: animus constans et egregius Cic. Sext. 53.

David, genit., nam vox indeclin. est.

387. *gloria — — exercita.* Cfr: exercere curas (in curis versari) Sil. 11, 374.

388. *Sămŭēl;* cfr Daniēlus Cath. 4, 70.

spolium — — divite ab hoste, sc. captum spolium divitis hostis. Cfr: dulcesque a fontibus undae Verg. G. 2, 243.

389. *attrectare.* Qui alienam rem attrectavit, furti tenetur Sabinus ap. Gell. 11, 18. Attrectare gazas Liv. 34, 4.

390. *praeda superstes. Superstes* interdum de rebus dicitur: superstes unda Ov. Met. 16, 552; lancea Stat. Theb. 8, 471.

391. *recidiva,* redintegrata, reviviscentia; cfr: recidiva .... Pergama Verg. Aen. 4, 344; 10, 58; vitae .... recidivae Tertull. Adv. Marc. 4. 25.

in praelia poscat. Cfr: aut acrem dubites in praelia poscere Turnum Verg. Aen. 8, 614.

393. *votum est* cum infin. rarissimum; cum *ut* interdum occurrit: sub his oculus plerumque rumpitur; votumque est (= desiderandum est) ut tantum exulceretur Cels. 6, 6, n. 1.

394. *per si qua* etc. Cfr: per superos et conscia numina veri, | per si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam, | intemerata fides, oro Verg. Aen. 2, 142.

395. *malum,* vitium.

397, *Ionathan,* accus. cas., indecl. sic Tertull. (Adv. Marc. 4, 10); Sulpic. Sev. (Chron. 1, 33; 35), Hieronym. (Onom.); in Versione vulgata Ionathas, acc. Ionatham, scribitur.

398. *conviolasse.* Vox rara, cfr: Perist. 6, 56; Tertull. Apolog. 39.

heu, male gustato, regni dum blanda voluptas
oblectat iuvenem, iurataque sacra resolvit;
sed quia paenituit, nec [sors[1]] lacrimabilis illa est,
nec tingit patrias sententia saeva secures.
En ego Sobrietas, si conspirare paratis,
pando viam cunctis virtutibus, ut malesuada
Luxuries, multo stipata satellite, poenas
cum legione sua Christo sub iudice pendat.
Sic effata, crucem domini ferventibus offert

[1] nec sors lacrimabilis h nec lacrimabilis *ceteri codd.*

399. *regni — — blanda voluptas.* Voluptas hoc loco idem est atque cupido; cfr: voluptates sua temperantia frenavit et domuit Liv. 30, 14.

Videtur poeta more suo mysticum, sensum facinori Ionathae subdidisse, voce *sceptro* inductus: sceptrum (Sam. 1, 14, 27) regium genus spectare vult, favum et mel dulcedinem regni.

400. *iurataque sacra,* iurata subst., sacra adiect. Saul, rex Iudaeorum iureiurando sacro milites interdixerat, ne quid vescerentur. Ionathan autem filius Davidis mellis favum gustaverat (cfr Sam. 1, 14, 24 sqq.).

resolvit, violavit, cfr: tua iura resolvo Verg. Aen. 4, 27.

402. *sententia,* iudicium. Saul sollenniter iuraverat moriturum esse quicunque aliquid gustavisset, et causa cognita filium suum capitis damnaverat.

nec tingit — — secures; iudicium non exsequitur.

403. *si conspirare* sc. mecum, cum Sobrietate.

404. *pando viam;* cfr: via panditur ardua iustis Cath. 10, 91; nulla merita cuiquam ad dominationem pandunt viam Liv. 4, 15.

malesuada, Cfr: m. fames Verg. Aen. 6, 276. malesuadi pocula succi Paulin. Nol. Carm. 6, 69 (de vino).

405. *stipata,* circumdata, cfr: neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus, nunc equestris ordinis flore Plin. Paneg. 23.

multo — — satellite singul. num. ut saepissime *miles = milites;* cfr: ne posset adire | cursus equi fecit circumfususque satelles Ov. Met. 14, 354.

poenas — — pendet. Cfr: Syrus mihi tergo poenas pendet Ter. Heaut. 4, 4, 6; maximas poenas pendo temeritatis meae Cic. Att. 11, 8. (Poenae proprie sunt pecuniae quae [libra] *penduntur.*)

407. *Sic effata.* Cfr: Verg. Aen. 4, 30: tantum effatus 6, 546; haec effata 653.

crucem Domini. De signi crucis potentia multa narrant antiqui christianorum scriptores. Cfr: fac, cum vocante somno | castum petis cubile, | frontem locumque cordis | crucis figura signet. | Crux pellit omne crimen, | fugiunt crucem tenebrae; | tali dicata signo | mens fluctuare nescit. | Procul o procul vagantum | portenta somniorum etc. Cath. 6, 129—138. Nunc satis est huius signi potentiam, quantum valeat exponere; quanto terrori sit daemonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quae obsederint, fugiant.

obvia quadriiugis[1], lignum venerabile in ipsos
intentans frenos, quod ut expavere feroces
cornibus oppansis et summa fronte coruscum,
vertunt praecipitem caeca formidine fusi
per praerupta fugam; fertur resupina reductis
nequidquam loris auriga, comamque madentem
pulvere foedatur; tunc et vertigo rotarum
implicat excussam dominam; nam prona sub axem
labitur et lacero tardat sufflamine currum[2].

[1] quadriiugis **h Put. P T** α (cfr Prolegg. pag. XII) quadrigas **f** quadrigis *ceteri codd.* [2] cursum **h**

. . . . cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens sacra nullo modo litant, 'nec responsa potest consultus reddere vates' Lact. Div. Inst. 4, 27.

ferventibus . . . . quadriiugis; cfr: fervidis rotis Hor. Carm. 1, 1, 4.

408. *lignum venerabile.* Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius, | nam praefixa cruci spes hominum viget Cath. 5, 95, 96. De ligno = cruce cfr praeterea Vers. Vulg. Act. 5, 30; Galat. 3, 13; 13, 29; Petr. 1, 2, 24.

in ipsos intentans frenos, obiiciens terrendi causa; cfr: veru extis stridentibus plenum in oculos eius intentat Petron. fragm. Tragur. 70; tela ac manus in ora legatorum intentant Tac. Hist. 1, 69.

410. *cornibus oppansis,* contra expansis. Oppando vox insolita apud antiquiores est. Occurrit apud Tertullianum; cfr etiam: illa vel ad flatus helices oppande serenos | vel caligineo laxanda reponito fumo Grat. Cyneg. 55.

summa fronte coruscum. Etiamnunc in ecclesiis orientalibus cruces, quae in pompis portantur, 'summa fronte' coruscae sunt, aureis vel argenteis phaleris et stellis ornatae.

411. *vertunt — — per praerupta fugam.* Cfr: vertere iter retro Liv. 28, 3.

caeca formidine; cfr: caecus furor Hor. Epod. 7, 13; lymphati caeco pavore animi Tac. Hist. 2, 82.

412. *reductis,* retractis, retro tractis; cfr: calculum reducas Cic. Fragm. ap. Non. 2, 781 laqueis falces . . . . reducebant Caes. Bell. Gall. 7, 22.

413. *comamque madentem;* cfr: crinemque madentem (de Paride) Verg. Aen. 4, 216.

414. *vertigo,* h. l. rotatio, cfr: adsidua vertigine rotare aliquem Plin. 8, 61, 8; adsidua rapitur vertigine caelum Ov. Met. 2, 70.

416. *sufflamine* instrumento, quo currus retardari potest; lacero sufflamine i. e. se ipsa lacerata, sufflaminis modo illapsa rotis. De *sufflaminis* verbo cfr: ipse rotam stringit multo sufflamine consul Iuvenal. 8, 148.

vulnus letale. Spiramenta animae letali vulnere rupit (*rumpit) Verg. Aen. 9, 580; cfr Suet. Caes. 82.

molarem. Cfr: lapidem . . . . praegrandem dextraque molarem | sustulit et magnum magno conamine misit Ov. Met. 3, 59; excipere immissos curvato umbone molares Stat. Ach. 2, 426 (427).

Addit Sobrietas vulnus letale iacenti,
coniiciens silicem rupis de parte molarem,
hunc vexilliferae quoniam fors obtulit ictum
spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti
casus agit saxum medii spiramen ut oris
frangeret et recavo misceret labra palato.
Dentibus introrsum resolutis, lingua resectam
dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
Insolitis dapibus crudescit guttur, et ossa
colliquefacta vorans revomit, quas hauserat, offas.
"Ebibe iam proprium post pocula multa cruorem",
virgo ait increpitans, "sint haec tibi fercula tandem
tristia, praeteriti nimiis pro dulcibus aevi.
Lascivas vitae illecebras gustatus amarae
mortis et horrifico sapor ultimus asperet haustu.
Caede ducis dispersa fugit trepidante pavore

419. *Vexilliferae,* cruciferae, Sobrietati, quae crucis vexillum gerebat.

420. *belli insigne,* vexillum (crucis).

421. *spiramen,* locum respirationis, vide infra v. 594.

422. *recavo. Recavus,* quod distinctius est, quam *cavus,* sed rarius, de iis rebus dicitur, quae introrsum se curvant; recavum speculum Perist. 11, 186; recava laquearia Paulin. Nol. Carm. 28, 408; recavum (κοῖλον) maris Avien. Phaenom. 1279.

423. *introrsum resolutis.* Cfr: obice *ex*trorsum repulso fracta cedit ianua Cath. 9, 74 (de ianua Tartari); pulso introrsus freto brevia litorum nudantur Tac. Ann. 6, 33; muri per artem obliqui aut introrsus sinuati Tac. Hist. 5, 11; introrsus in Pontum nunquam refluo mari Plin. 2, 100, 2.

425. *crudescit,* fit velut crudum, et revomere vult.

426. *colliquefacta,* cum ceteris simul liquefacta i. e. dissoluta, fracta. Quid sibi velit haec expressio, apparet ex hoc: cibos mansos et prope liquefactos demittamus, quo facilius digerantur Quintil. 10, 1, 19.

429. *nimiis pro dulcibus.* Cfr: nimia memorás mira Plaut. Amph. 2, 1, 69 et 5, 1, 52.

dulcibus. Cfr: inula per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis saluberrima Plin. 19, 29, 1.

praeteriti — aevi praeteritae vitae, admixto sensu temporis mundi peracti, saeculorum paganismi peractorum: impendere omne spatium sui aevi in rem aliquam Vellei. 2, 89; interiit anno aevi quadragesimo Aurel. Vict. de Caesarib. 10; exstinguere sequentis aevi memoriam Tac. Ann. 4, 35.

432. *trepidante pavore.* Cfr: pavor horridus Senec. Herc. Oet. 27.

nugatrix acies: Iocus et Petulantia primi
cymbala proiiciunt, bellum nam talibus armis
ludebant, resono meditantes vulnera sistro.
Dat tergum fugitivus Amor: lita tela veneno
et lapsum ex humeris arcum pharetramque cadentem
pallidus ipse metu sua post vestigia linquit,
Pompa ostentatrix vani splendoris inani
exuitur nudata peplo: discissa trahuntur
serta venustatis collique ac verticis aurum

433. *nugatrix*. Videtur apud Prudentium nugator, nugatrix libidinis negotia spectare; cfr: quis mane sumptis nequiter | non erubescit poculis? | cum fit libido temperans | castumque nugator sapit Cath. 2, 29.

Iocus, cfr: sive tu mavis, Erycina ridens | quam Iocus circumvolas et Cupido Hor. Carm. 1, 2, 34.

Petulantia, dea, Erebi et Noctis filia, secundum Hygin. Fab. praef.

cymbala instrumenta in Bacchanalibus et libidinosis conviviis adhibita esse testis est Livius 39, 8 (occulebat vim, quod prae ululatibus, tympanorum et cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra et caedes exaudiri poterat) et 10 (ut quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus, eos deducere in locum, qui circumsonet ululatibus, cantuque symphoniae, et cymbalorum et tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, quum per vim stuprum inferatur exaudiri possit).

435. *meditantes vulnera;* cfr intenditque arcum et pugnas meditatur Apollo Sil. 12, 711.

sistro, sistrum instrumentum aeneum erat quo crepitabant in sacris Isidi faciendis. Haec Isidis sacra ab amorosis et libidinosis in magno honore halebantur; cfr Ov. Amor. 2, 13.

436. *dat tergum*, fugit. Qui plures simul terga dederant conversi in hostem Liv. 22, 29.

Amor non raro ab artificibus βέλη καὶ τόξον ἀφεικώς fingebatur; cfr Paus. 2, 27, 3.

439.. *Pompa* personae nomine inducitur. De pompa vana et fortitudinis contraria cfr: foedera sola tamen, vanaque carentia pompa | iura placent Lucan. 2, 352 (de nupt. Catonis); epidicticum genus proprium sophistarum, pompae, quam pugnae aptius Cic. Orat. 13; exortus est Isocrates magister istorum omrium, sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt Cic. Orat. 2, 22.

440. *peplo*. Peplum saepe ad magnificam et *laxam* vestem significandam usurpatur cfr: gremio natum Cytherea removit | et crines festina ligat, peplumque fluentem | allevat Claudian. Nupt. Honor. 122; accipiunt sinibusque suis peploque fluenta | osculaque horrendis iungunt impunevenenis Manil. 5, 387,

441. *collique ac verticis aurum;* spectantur monilis aureae bacae; cfr Annali del Ist. arch. XII Tav. B 12; vide infra vv. 448, 449.

solvitur et gemmas discordia dissona turbat.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
ire Voluptatem: quoniam vis maior acerbam
compellit tolerare fugam: formido pericli
praedurat teneras iter ad cruciabile plantas.
Qua se cunque fugax trepidis fert cursibus agmen,
damna iacent: crinalis acus, redimicula, vittae
fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.
His se Sobrietas et totus Sobrietatis
abstinet exuviis miles, damnataque castis,
scandala proculcat pedibus, nec fronte severos

[1] damnata metalli h

442. *discordia dissona*. Cfr: collidens dissona corda | seditio Sil. 11, 45; et scissa gaudens vadit Discordia palla Verg. Aen. 8, 702; scisso Discordia crine | extulit ad superos Stygium caput Petron. Sat. 124.

turbat, turbare decus capitis Senec. Hippol. 827.

445. *compellit tolerare*. Cfr supra v. 380.

446. *praedurat*, vox rarior, indurat, duras reddit; cfr: si tanta callum pectoris | praedurat obstinatio Perist. 5, 177; semper fere de iis corporis partibus, quae terendo vel eundo vel alia causa duriores fiunt. Cfr etiam Cyprian. Laud. Mart. 3.

teneras — — plantas. Planta est pedis pars inferior. Cfr: Ah! tibi ne *teneras* glacies secet aspera *plantas* Verg. Buc. 10, 49.

448. *damna*, res amissae (non ut v. 368).

crinalis acus, vel acus comatoria, magna acus (aurea, argentea etc.) per consertos et compositos crines missa ad eos firmandos inserta. Cfr Mart. Epigr. 2, 66; 14, 24.

redimicula fasciae erant, quae a mitra vel alio capitis operimento exeuntes sub mento conserebantur ad cohibendum operimentum. Cfr Verg. Aen. 9, 616.

vittae. Cfr supra ad v. 30.

449. *fibula*. Variis usibus serviebant fibulae antiquorum. Hic de fibula crinali agitur, quae taeniam vel vittam mulieris circa caput circumtentam firmabat. Cfr Verg. Aen. 7, 815.

flammeolum, flammeum (nuptialis vestis feminarum longa et fluens, flavi coloris, teste Plinio (Hist. Nat. 21, 22)), sed levioris et tenuiorisque materiae.

strophium, fascia infra pectus muliebre circa corpus circumnexum. Cfr Catull. 64, 65.

diadema, fascia larga caput regum (proprie Persicorum) circumdans.

monile, notum illud colli ornamentum, formam catenae habens, bacis metalleis, vel margaritis vel aliis eiusmodi rebus compositum; cfr: Verg. Aen. 1, 654; Ov. Met. 5, 52.

452. *Scandala*. Scandalum, quantum scio, non ante christiana tempora in latino sermone occurrit. Proprie est impedimentum in via positum, quo pes lapsare potest; cfr Prud.

connivente oculos praedarum ad gaudia flectit.
Fertur Avaritia, gremio praecincta capaci,
quidquid Luxus edax pretiosum liquerat, unca
corripuisse manu, pulcra in ludibria vasto
ore inhians aurique legens fragmenta caduci
inter arenarum cumulos; nec sufficit amplos
implevisse sinus, iuvat infarcire[1] cruminis
turpe lucrum et gravidos furtis distendere[2] fiscos
quos laeva celante tegit laterisque sinistri
velat opermento: velox nam dextra rapinas
abradit spoliisque ungues exercet aënos.
Cura, Fames[3], Metus, Anxietas, Periuria, Pallor,
Corruptela, Dolus, Commenta, Insomnia, Sordes,
Eumenides variae monstri comitatus aguntur.

[1] infercire 1 h **Ang.** [2] confundere h [3] famis h E 1 α

Apoth. 47, tum inductionem ad vitia significat.

proculcant. Cfr: pedibusque virum proculcat equinis (Centaur.) Ov. Met. 12, 364.

fronte — — connivente. Sine ex.

454. *Avaritiā* ***gr****emio,* De metro cfr v. 41; cfr infra v. 481.

455. *unca — manu.* Cfr: uncis | carpendae manibus frondes Verg. G. 2, 365; prensantemque uncis manibus capita aspera montis Verg. Aen. 6, 360.

456. *in ludibria — — inhians.* Inhiare, valde appetere, apud alios cum dativo vel accusativo coniungitur; cfr: nullo fine beatas | componit opes gazis inhians Senec. Her. Fur. 166; inhians praedae Val. Flacc. 3, 5, 31; ille homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus Plaut. Stich. 4, 2, 25.

457. *caduci,* quod ceciderat et relictum erat cfr: *spica caduca,* quae cecidit inter metendum et in agro relicta est Varr. 2 R R. 2; tela caduca Prop. 5 (4) 2, 53.

458. *cumulos,* cumulos (*cumulus) . . . . arenae Verg. G. 1, 105.

459. *cruminis.* Crumina est sacculus pecuniae servandae aptus; cfr: tene cruminam: in ea erunt triginta minae Plaut. fragm. ap. Fest; minas viginti mihi dat, accipio libens: condo in crum*e*nam Plaut. Truc. 3, 1, 7; quis enim te, deficiente crumena | Et crescente gula, manet exitus? Iuvenal. 11, 38.

infarcire. Haec forma occurrit apud Colum. (12, 53) Plin. (33, 6, 1), *infercire* apud Auct. Itiner. Alex. M. (120) Cic. (Orat. 69). etc.

460. *fiscos.* Fiscus proprie significat loculum, arcam vel follem quibus ad pecuniam servandam et portandam utebantur antiqui: mulus ferebat fiscos cum pecunia Phaedr. 2, 7.

465. *insomnia,* fem. gen., absentiam, privationem somni (h. l. curis avaris effectam) significat. Cfr Sall· Cat. 28; Suet. Cal. 50; Gell. 6, 4 insomni*um* autem vulgo idem quod somnium est, raro i. q. insomni*a*; cfr Plin. 20, 33. 4).

466. *Eumenides* Furiae graeca voce et euphemistica dicuntur, sed

Nec minus interea rabidorum more luporum
crimina persultant toto grassantia campo,
matris Avaritiae nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fulvis radiare ceraunis
germanus vidit commilito, non timet ensem
exserere atque caput socio mucrone ferire,
de consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius exstinctum belli sub sorte cadaver
adspexit si forte patris, fulgentia bullis
cingula et exuvias gaudet rapuisse cruentas:
cognatam civilis agit discordia praedam,
nec parcit propriis amor insatiatus habendi
pignoribus spoliatque suos famis impia natos,
Talia per populos edebat funera victrix
orbis Avaritia sternens centena virorum
milia vulneribus variis: hunc lumine adempto

rarius apud latinos; cfr tamen Verg. Aen. 4, 469; Prop. 4, 11; Ov. Met. 8 481; Senec. Herc. 86 cet.

monstri comitatus aguntur. Cfr: Irae Insidiaeque Dei comitatus aguntur Verg. Aen. 12, 336.

469. *nigro de lacte creata. Lac* sinum, ubera credo significare posse; cfr: lacte depulsum Perist. 10, 663; certe *lactes* (pl.) intestina animalium, et hominum sunt: pulmone et lactibus unctis Pers. 2, 30; oro te, Basse, per lactes tuas, Priscian. 6, p. 686 (Putsch.).

470. *ceraunis.* Ceraunia vel ceraunus est gemmae species valde splendentis; cfr: est inter candidas et quae ceraunia vocatur, fulgorem siderum rapiens Plin. 37, 9; tres fuerant in fronte gemmae: lychnis, astrites et ceraunus Capell. 1, 75.

472. *exserere,* proferre cfr: manum subter togam ad mentum exserere Liv. 8, 9; cfr exserta v. 23.

474. *belli sub sorte.* Cfr: supra ad v. 21.

475. *fulgentia bullis | cingula.* Cfr: aurea bullis | cingula Verg. Aen. 9, 359. Bulla caput erat clavi, cingulo, vel aliis rebus impositi.

478. *amor — — habendi.* Cfr: et belli rabies et *amor* successit *habendi* Verg. Aen. 8, 327; curam habendi penitus corde eradere Phaedr. prol. l. 3.

479. *famis.* Cfr *luis* v. 508.

480. *edebat funera.* Cfr: quae funera Turnus | ediderit Verg. Aen. 9, 527: talia per campos edebat funera ductor | Dardanius Ibid. 10, 602.

481. De metro cfr vv. 41, 454.

482. *lumine adempto.* Cfr: lumine adempto animam moribundo corpore fudit Lucret. 3, 1047; nec lumen ademptum, | nec mihi detractas possidet alter opes Ov. Trist. 4, 4, 45; monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum Verg. Aen. 3, 658.

effossisque oculis velut in caligine noctis
caecum errare sinit, perque offensacula multa
ire, nec oppositum baculo[1] temptare periclum.
Porro alium capit intuitu fallitque videntem,
insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille
excipitur telo incautus cordisque sub ipso
saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos praecipitans in aperta incendia cogit
nec patitur vitare focos, quibus aestuat aurum,
quod petit arsurus pariter speculator avarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
occupat interitu, neque enim est violentius ullum
terrarum vitium, quod tantis cladibus aevum
mundani involvat populi damnetque[2] Gehennae
Quin ipsos temptare manu, si credere dignum est,
ausa sacerdotes Domini, qui praelia forte
ductores primam ante aciem pro laude gerebant
virtutum magnoque implebant classica flatu.

[1] ferro h [2] damnisque h

483. *effossisque oculis.* Cfr: luminis effossi Verg. Aen. 3, 663; cfr etiam Caes. Bell. Gall. 7, 4; Ter. Eun. 4, 6, 2; Cic. Nat. D. 3, 38.

484. *offensacula* (cfr infra v. 781). Posteriorum temporum vox esse videtur; cfr: crebris offensaculis et adsiduis lapsibus contusa crura Apul. Met. 9; adversarius noster offensacula pedibus latenter opponit Lact. Opif. D. 1; lapis ecce nostro fixus offensaculo est, | impingat in quem vanitas. Apoth. praef. 2, 33.

489. *suspirat,* sensu *deplorat* rarum est; cfr: suspirat arator | incassum magnum cecidisse laborem Lucr. 2, 1163.

492. *arsurus — avarus.* Observanda est similitudo sonorum, saeculo septimo vel octavo lege certa ordinata et severius quam in hoc versu(*urus*, *arus*) observata (in versibus Leoninis, qui vocantur.)

mundani, profani, ad saeculum ethnicum pertinentis; cfr: mundani auctores (contra sacros vel christianos auctores) Cassiod. Div. Inst. Praef.

Postea *laicos* clero et sacerdotibus oppositos significat, cfr: mundani coerceantur humano iure; vos sanctis moribus obedite Ibid. Var. 8, 24.

Fieri potest ut hunc sensum iam Prudentius in animo habuerit; cfr vv. 496 seqq. (de sacerdotibus).

497. *Quin ipsos* cet. Haec sacerdotes Iudaeorum spectat (cfr *gerebant* et implebant classica flatu vide Ios. 6); sacerdotes sui temporis tangere Prudentium non negaverim; cfr Sulp. Sev.

500. *classica.* Cfr: hunc triste raptat classicum Cath. 2, 42; clangere classicum Cath. 5, 48. Classicum proprie est sonus tubae vel cornus; tam autem, rarius tamen, ipsum instrumentum quod sonat. Cfr: inflare classica Verg. G. 2, 559. De sacerdotibus classica inflantibus v. Num. 10, 8.

Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
ni Ratio armipotens, gentis Levitidis una
semper fida comes, clipeum obiectasset et atrae
hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
immunes fortesque animi: vix in cute summa
praestringens paucos tenui de vulnere laedit
cuspis Avaritiae. Stupuit luis improba castis
heroum iugulis longe sua tela repelli,

501. *fors — — tinxisset,* sc. Avaritia. Fors = fortasse. Cfr: et fors aequatis coepissent praemia rostris | ni etc. Verg. Aen. 5, 232.

502. *Levitidis,* nom. Levitis fem. gen., vox Prudentiana (cfr KANTECKI p. 38). De Levitarum officio admonendi, si quis iura sacrata violare vellet vide Num. 18, 1.

504—505. *ab* non raro apud Prudentium coniungitur cum verbis et adiectivis, quae quietem, libertatem, immunitatem, vacuitatem ab aliqua re, vel similia, significant: *a) cum verbis:* requiescere ab omni | armorum strepitu Psych. 169; iam tortor ab unco | desine Perist. 11, 63; acri . . . . tegens ab igni 6, 159; auditus felix stolida conservet ab aure Ham. 655; ne propria vacet angulus ullus ab umbra Symm. 2, 449; plenis fraudat ab exequiis Perist. 11, 146; *b) cum adiectivis:* liber ab ignibus Cath. 5, 135; dolore ab omni mens . . . libera Perist. 10, 519; turbine ab omni | immunes 505, ab interno tutam servare veneno Symm. 1, 21; ab impudicae tutus amplexu deae Perist. 10, 199 tectum servare a vulnere C. Symm. 1, 650; pura ab omni sanguine . . . nitebunt marmora Psych. 2, 481; vacuam . . . . a crimine Apoth. 899; intactum ab omni crimine virginal Perist. 14, 8; inanis a marsupio Perist. 2, 104; fragore ab omni . . . . remotum et segregem Cath. 7, 28. Cfr Hamart. 841 (remotis) v. supra.

505. *opē stant* cfr vv. 41, 99.

505. *turbine.* Cfr: o confuse nimis Gradivi turbine Varro Sil. 11, 101; attonitus tanto miserarum turbine rerum Ov. Met. 7, 614; virtutis iam sola fides quam turbine nullo | excutiet Fortuna tibi Lucan. 2, 243.

507. *de vulnere,* causam designans; cfr: Achaemeniae gravior de vulnere pugnae Val. Flacc. 6, 65.

tenui — — vulnere, cfr: tenui verbere Martial. 14, 71.

stupuit cum accus. c. inf.: iamque novum terrae stupeant lucescere solem Verg. Buc. 6, 37.

508. *luis* forma Prudentiana pro *lues.* Cfr Hamart. 250. De *lue* personam spectante cfr supra v. 259, 304 (labes, pestis), cfr praeterea: Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues, | novi parat? Senec. Herc. Fur. 358.

ingemit et dictis ardens furialibus infit:
"Vincimur, heu, segnes, nec nostra potentia perfert,
vim solitam, languet violentia saeva nocendi,
sueverat invictis quae viribus omnia ubique
rumpere corda hominum; nec enim tam ferrea quemquam
formavit natura virum, cuius rigor aera
sperneret aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aspera, dura,
docta, indocta simul, bruta et sapientia, nec non
casta, incesta meae patuerunt pectora dextrae.
Sola igitur rapui quidquid Styx abdit avaris
gurgitibus; nobis ditissima tartara debent

510. *ardens.* Cfr: iuvenum manus emicat ardens Verg. Aen. 6, 5.

dictis — furialibus. Cfr: furialis illa vox (i. e. validissima, trucissima?) nefariis stupris effeminata Cic. Planc. 35.

infit, incipit. Cfr Verg. Aen. 5, 708; 10, 100; 800; Ov. Met. 4, 475. Apud Prudentium uno loco idem valere videtur atque *loquitur:* imperat, ante videt, perpendit, praecavet, infit (de anima) Apoth. 805.

511. *perfert,* usque ad finem servat, quae significatio aliquantum insolita, non tamen sine exemplis est; cfr: pertulit intrepidos ad fata novissima vultus Ov. Met. 13, 478.

512. *violentia — — nocendi,* vis nocendi, sine exemplis apud alios scriptores.

514. *rumpere corda hominum,* per similitudinem, ut: rapido cursu media agmina rumpunt Verg. Aen. 12, 683. Hic sensus mihi veri similior videtur quam sensus *corrumpendi,* qui tamen cogitari potest. Conferri possunt: rumpere lumina fletu Val. Flacc. 5, 341 lacrimis corrumpere ocellos Ov. Ars am. 1, 129.

515. *aera* pecuniam. Cfr: hic meret aera liber Sosiis Hor. Ars poet. 345.

516. *impenetrabilis auro,* mens . . . . impenetrabilis irae Sil. 7, 561.

517. *neci dedimus.* Iamque neci Sthenelumque dedit Thamyrinque Pholumque Verg. Aen. 12, 341; eum . . . . | dede nei Verg. G. 4, 90.

520. *abdit.* Cfr: abde caput tristi . . . . abysso (Libidinem devictam adloquitur victrix Pudicitia); supra v. 91; cratera in . . . . sacco clam praecipit abdi (i. e. clam deponi) Ditt 26; o mors . . . . abde negatores Christi (i. e. in tuo regno conditos tene) Apoth. 771.

Styx — — gurgitibus. Styga aquam esse creditam satis constat; cfr: Stygii quoque conscia sunto | numina torrentis Ov. Met. 3, 290 de verbo *gurgite,* cfr infra vv. 655.

nobis — — tartara debent — — populos, i. e. ego causa primaria sum, cur multitudo hominum in tartara post mortem abeat. Hoc sensu christiano mutat poeta antiquam illam de Dite *divitiarum* et inferorum deo persuasionem.

quos retinent populos: quod volvunt saecula nostrum est,
quod miscet mundus vesana negotia nostrum.
Qui fit, praevalidas quod pollens gloria vires
deserit et cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis rutilantis fulva monetae
effigies, sordent argenti emblemata et omnis
thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? Nonne triumphum
egimus ex Scarioth; magnus qui discipulorum
et conviva Dei, dum fallit foedere mensae
haudquaquam ignarum dextramque parabside iungit,

522. *quod volvunt saecula,* i. e. quod rapiunt et secum volvunt gentes hominum (saecula accus.). Cfr: Sol qui flammigeris mundum complexus habenis | volvis inexhausto redundantia saecula motu Claudian. Carm. 1.

miscet, agitat, inania murmura miscent Verg. Aen. 4, 202; incendia miscet 2, 329; miscere coetus Tac. Ann. 1, 16.

vesana de rebus abstractis, cfr: vesana fames Verg. Aen. 9, 340.

negotia. Cfr: nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus Tim. 2, 2, 4 (Vulg.).

524. *Qui fit — — quod.* Cfr: qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes Cic. Fin. 2, 4.

praevalidas. Cfr: praevalidam manum Cath. 5, 46; illum praevalidum iuvenem et stolide ferocem viribus suis Liv. 7, 5.

gloria pollens; cfr: cum Romana maiestas toto orbe polleret Flor. 4, 2.

525. *cassos — — lacertos.* Nunquam cassa manus (frustra vel irrite feriens) Stat. Theb. 9, 770.

ludit. Cfr: senectus . . . . falsa vatem formidine ludit Verg. Aen. 7, 442.

526, *Sordet,* nihili aestimatur, sordium loco habetur. Cfr: sordent tibi munera nostra Verg. Buc. 2, 44.

Christicolis; cfr supra v. 13.

rutil. fulva monetae i. e. aurei nummi.

emblemata imagines insertae vel insculptae. Cfr: scite in aureis poculis emblemata illigare, et apte in scyphis aureis includere Cic. Verr. 6, 24.

vilescit, quamvis clarus homo vilescit in turba Hieron. Ep. 66 7.

529. *docta — — fastidia,* Cfr: doctus dolus Plaut. Mil. 2, 2, 93 docta prece Hor. Epist. 2, 1, 131. Cfr v. 364.

529—30. *triumphum egimus ex Scarioth.* Cfr: agere triumphum *de* aliquo Cic. Verr. 7, 39; *ex* aliqua re Fam. 3, 10; triumphum *de* se ipso ducere Iustin. 14, 4.

magnus — — discipulorum. Nonne Prudentius *summus* scripsit, postea a sciolo correct.?

conviva Dei cfr. Hor. Carm. 4. 14, 12.

631. *foedere mensae,* f. hospitii Iustin. 7, 3; thalami Ov. Met. 7, 408.

632. *parabside.* Parabsis, parapsis vel parapsis | lanx est 'paribus absi-

incidit in nostrum flammante cupidine telum,
infamem mercatus agrum de sanguine amici
numinis, obliso luiturus iugera collo.
Viderat et Iericho propria inter funera, quantum
posset nostra manus, cum victor concidit Achar,
caedibus insignis, murali et strage superbus.
Succubuit capto victis ex hostibus auro
dum vetitis insigne legens anathema favillis,
maesta ruinarum spolia insatiabilis haurit.
Non illum generosa tribus, non plebis avitae
iuvit Iuda parens, Christo quandoque propinquo
nobilis et tali felix patriarcha nepote.
Queis placet exemplum generis, placeat quoque forma
exitii, sit poena eadem, quibus et genus unum est.
Quid moror aut Iudae populares aut populares
sacricolae summi (summus nam fertur Aaron)
fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar?

dibus quadrilatera, quadrangula': Cum forte parapsis excidisset, et puer iacentem sustulisset, animadvertit Trimalchio, colaphisque obiurgari puerum ac proiicere rursus parabsidem iussit Petron. Sat. 34; quot pascit servos, quot possidet agri | iugera, quam multa, magnaque parabside caenas Iuvenal 3, 141.

535. *obliso* vide supra ad v. 331.

536. *propria inter funera.* Cfr: haec inter caenam Tironi dictavi Cic. Q. Fr. 3, 1, 6; vociferari inter vapulandum incipit Gell. 1, 26; inter bibendum Iustin. 11, 8.

537. *concidit.* Cfr: urbe incendio conflagrata concidit Auct. ad Herenn. 4, 8 (H. l. *una, simul* cecidit?).

Achar. Vide Ios. 7.

538. *murali et strage superbus.* Cfr: et testudinea Phoebe superbe lyra Tibull. 4, 2, 22; intonsa Phoebe superbe coma Tib. 4, 2.

540. *anathema* (ἀνάθημα) donum templo vel deo dicatum (De ea re, quae hic agitur, cfr Ios. 6, 19).

541. *maesta ruinarum spolia.* Maestus de rebus raro dicitur; cfr: ossa parentis condidimus terra, maestasque sacravimus aras (diis manibus sacras) Verg. Aen. 5, 47; maesta funera Ov. Fast. 6, 660; maestos laniare capillos Ov. Am. 2, 6, 5.

haurit. Cfr: hauristi patrias luxuriosus opes Mart. 9, 83; arbusta evolvens radicibus haurit (sc. ventus) ab imis Lucr. 6, 140.

543. *quandoque,* olim, futuro tempore. Cfr: istum iuvenem domi tenendum censeo, ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet Liv. 11, 3; et tu, Galba, quandoque degustabis imperium Tac. Ann. 6, 20.

544. *felix — — nepote,* felix prole virum Verg. Aen. 6, 787; felix utero Sil. 4, 359.

patriarcha; cfr Cath. 6, 57.

Nil refert, armis contingat palma dolisve".
Dixerat et torvam faciem furialiaque arma
exuit inque habitum sese transformat honestum.
Fit virtus specie vultuque et veste[1] severa,
quam memorant frugi, parce cui vivere cordi est
et servare suum, tamquam nil raptet avare,
artis adumbratae meruit, ceu sedula laudem.
Huius se specie mendax Bellona coaptat:
non ut avara lues, sed virtus parca putetur,
nec non et tenero pietatis tegmine crines
obtegit anguinos, ut candida palla latentem
dissimulet rabiem diroque obtenta furori
quod rapere et clepere est avideque abscondere parta
natorum curam dulci sub nomine iactet.
Talibus illudens male credula corda virorum
fallit imaginibus: monstrum ferale sequuntur,
dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
consensu faciles manicisque tenacibus artat.

[1] veste **h Cas.** cett. voce **E W R c m r.**

551. *Dixerat.* Cfr v. 98.

torvam faciem, torvo vultu ferus Hor. Ep. 1, 19, 12; leonis torvissima facies Arnob. 6, 196; equus torvo aspectu Plin. 8, 42, 64. torva sub fronte (de Polyphemo) Aen. 3, 636. adstantes lumine torvo | Aetnaeos fratres Aen. 3, 677.

552. *transformat.* Cfr: Alecto in vultus sese transformat aniles Verg. Aen. 7, 416.

554. *parce cui vivere cordi est.* Cfr: fatetur, sibi vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse Cic. Quint. 30.

556. *adumbratae,* simulatae. Cfr: nec occultam est, quando ex veritate, quando adumbrata laetitia . . . . (Tac. Ann. 4, 31).

561. *anguinos,* nam 'Furiarum' una erat Avaritia, cfr vv. 10, 96, 466, 552.

palla. Pallam vestem longam et fluentem honestarum feminarum fuisse constat.

563. *clepere* (κλέπτειν), clam furari, dum 'rapitur' palam. Cfr: ubi data occasio est, rape, clepe, tene Plaut. Pseud. 1, 2, 6; clepere dolo aliquid Accius ap. Cic. Tusc. 2, 10.

parta, res captas, adquisitas; cfr: male parta male dilabuntur Cic. Phil. 2, 27.

564. *natorum curam — — iactet,* prae se ferat, cum ostentatione proferat vel simulet; cfr: ostentare honorem aetatis, iactare urbanam gratiam et dignitatem Caes. Bell. civ. 3, 83: admiscere tentavimus aliquid nitoris, non iactandi ingenii gratia Quintil. 3, 1, 3.

566. *ferale,* letiferum, fatale.

567. *dum credunt virtutis*

Attonitis ducibus perturbatisque maniplis
nutabat virtutum acies, errore biformis
portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
quidve hostile notet: letum versatile et anceps
lubricat incertos dubia sub imagine visus:
cum subito in medium frendens Operatio campum
prosilit auxilio sociis pugnamque capessit
militiae postrema gradu, sed sola duello
impositura manum, ne quid iam triste supersit.
Omne onus ex humeris reiecerat, omnibus ibat
nudata induviis, multo et se fasce levarat,
olim divitibus gravibusque oppressa talentis,

opus sc. id esse, quod Avaritia facit et docet (rapere, clepere cet.).

impia Erinnys i. e. Avaritia, quae iam ante 'Furia' vocata est. Ita Helenam Vergilius Erinnyn dicit: Troiae ac patriae communis Erinnys, (Verg. Aen. 2, 578. Bellum 'civilis Erinnys' vocatur apud Lucan, 4, 187. Epitheta Erinnyis vulgo sunt *tristis* Verg. Aen. 2, 337; Ov. Heroid. 6, 45) *fera* (Ov. Met. 1, 241) *atra* (Ov. Heroid. 11, 103).

570. *errore biformis portenti.* Cfr: Graiarum errore iubarum Verg. Aen. 2, 412.

572. *quidve hostile notet,* quid vituperet ut hostile. Cfr: nec bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione posse Cic. Orat. 2, 85; stultus et improbus hic amor est, dignusque notari Hor. Sat. 1, 3, 24.

Letum, sub forma personae vel monstri cogitatum; cfr: Verg. Aen. 6, 277; Hygin. Fab. Praef.

versatile, quod formam mutare poterat; cfr: versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat et toties tecta, quoties fercula, mutentur Senec. Ep. 90; *versatile (versabile?) ingenium Liv. 39, 40.

573. *lubricat,* incertos facit; sensu hoc translato ἅπαξ εἰρημένον (vulgo = lubricum reddit: ruit (oleum) per marmora lubricatque clivum, Perist. 11, 35).

574. *Operatio,* quae bona opera facit. Apud Plautum pro *sacrificio* occurrit: ut istaec operatio crimen expiet Plaut. Fragm. Apud scriptores christianos opera misericordiae spectat; cfr: aegros quoque curandos fovendosque suscipere summae humanitatis et magnae operationis est Lact. 6, 12.

576. *impositura manum,* sc. extremam, supremam. Cfr: manum supremam bellis imp. Ov. Rem. Am. 114; summam manum operi imp. Plin. 36, 4, 5.

578. *induviis.* Cfr Contr. Symm. 2, 288.

fasce, pondere, sarcina. Cfr: ego hoc te fasce levabo Verg. Buc. 9, 65, iniusto sub fasce viam carpere Verg. 6, 3, 347 (cfr. Cic. Fusc. 2, 16).

libera nunc miserando inopum, quos larga benigne
foverat effundens patrium bene prodiga censum:
iam loculos ditata fide spectabat inanes
aeternam numerans redituro faenore summam.
Horruit invictae virtutis fulmen et impos
mentis Avaritia stupefactis sensibus haesit
certa mori, nam quae fraudis via restet, ut ipsa
calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
illecebris spretoque iterum sese implicet auro?
Invadit trepidam virtus fortissima duris
ulnarum nodis, obliso et gutture frangit
exsanguem siccamque gulam: compressa ligantur
vincla lacertorum sub mentum et faucibus artis
extorquent animam, nullo quae vulnere rapta
palpitat atque aditu spiraminis intercepto
inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibusque et calcibus instans
perfodit et costas atque ilia rumpit anhela:
mox spolia exstincto de corpore diripit, auri
sordida frusta rudis, nec adhuc fornace recoctam
materiem, tineis etiam marsupia crebris
exesa et virides obducta aerugine nummos

580. *foverat.* Cfr: nos gemino fovens paratu Cath. 4, 34; cfr: praeterea.

582. *lòculos,* capsulam pecuniae servandae aptam, cfr: gestit enim nummum in loculos demittere Hor. Epist. 2, 1, 175.

585. *Avaritiā stupefactis.* De producta ante *st* syllaba ultima vocis Avaritia cfr supra ad v. 481.

586. *certa mori.* Cfr: Verg. Aen. 4, 563.

590. *obliso gutture.* Cfr supra. vv. 331, 535.

594. *spiraminis.* Cfr supra v. 421. *intercepto.* Cfr. supra v. 34.

597. *rumpit.* Cfr supra v. 514.

600. *tineis* vermiculis, qui vestes, chartas etc. exedunt. Cfr. cui stragula vestis | blattarum ac tinearum epulae putrescat in arca Hor. Sat. 2, 3, 118. Saepe de libris: conditus ut tineae carpitur ore liber Ov. Pont. 1, 1, 72.

marsupia, Marsupium est antiqua vox pro sacco nummorum. Iam apud Plautum occurrit: nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt Plaut. Rud. 5, 2, 26; acutum cultrum habeo, qui senis exciterem | marsupium Plaut. Epid. 2, 2, 3; e quibus exemplis tamen apparere videtur marsupia magnitudine ampliora fuisse quam sacculi nostri, quos 'portemonnaies' vocamus.

601. *obducta aerugine* pro *obductos aerugine.* Cfr v. 421 (interciso aequore).

dispergit servata diu victrix, et egenis
dissipat ac tenues captivo munere donat.
Tunc circumfusam vultu exsultante coronam
respiciens alacris media inter milia clamat:
"Solvite procinctum, iusti, et discedite ab armis:
causa mali tanti iacet interfecta: lucrandi
ingluvie pereunte licet requiescere sanctis.
Summa quies nil velle super quam postulet usus
debitus, ut simplex alimonia vestis et una
infirmos tegat ac recreet mediocriter artus
expletumque modum naturae non trahat extra.
Ingressurus iter peram ne tollito, neve

602. *egenis.* Egenus, substantivice usurp. ab ecclesiasticis scriptoribus praesértim amatur; cfr multa Versionis vulgatae loca: Iob. 34, 28, Ps 40, 2; Ioh. 12, 6 cett.

603. *Dissipat.* Cfr: nihil superest, libidines totum patrimonium dissipaverunt Crassus ap. Cic. Orat. 2, 55.

tenues. Tenuis et obaeratus Suet. Caes. 46; misera et tenuis praeda Caes. B. G. 6, 34; muneribus cupiat si quis contendere tecum | audeat hic etiam castrice carminibus | nos tenues in utroque sumus Martial. 7, 42; tenuis . . . opum, non patre nitens . . . linguave Sil. 6, 19.

circumfusa. Cfr: turba | circumfusa duci Lucan. 5, 680.

604. *coronam,* circulum audientium, exercitum.

605. *media inter milia.* Cfr: ille e concilio multis cum milibus ibat | ad tumulum Verg. Aen. 5, 75.

606. *iusti.* Solita piorum vel christianorum nominatio apud Prudentum; Cfr: o quam profunda iustis | arcana per soporem | aperit tuenda Christus Cath. 6, 73; iustorum in patriam scandere praecipit Cath. 5, 112; via panditur ardua iustis Cath. 10, 91; cfr infra v. 608 (sanctis).

infirmos—artus. cfr: imbecilla lex corporis Cath. 4, 2.

discedite ab armis, discedere ab armis Cic. Phil. 8, 11.

608. *ingluvie.* Ingluvies proprie locum illum sub gutture avium significat, quo quae edunt quasi in statione collocant; post autem simpliciter guttur est et translate *voracitas:* cum *lucrandi ingluvie* conferri potest *Foenoris ingluvies* Petron. Sat. 119.

611. *mediocriter* de vestibus; cfr: mulier mediocriter vestita veste lugubri Ter. Heaut. 2, 3, 34.

612. *trahat* sc. aliquid. Cfr: traxitque vagus per pulpita vestem Hor. Ars Poet. 215.

modum — — extra. Cavendum est, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas Cic. Off. 1, 39. Postpositum invenimus interdum etiam apud prosae orationis scriptores; cfr: ventilabat illuc Nero, quo solutius urbem extra lasciviret Tac. Ann. 13, 47.

613. *peram ne tollito.* Pera est saccus viatorum, quo alimoniam, vestes, cetera itineri utilia vel necessaria portant; cfr: nolite portare sacculum,

de tunicae alterius gestamine providus ito,
nec te sollicitet res crastina, ne cibus alvo
defuerit, redeunt escae cum sole diurnae.
Nonne vides, ut nulla avium cras cogitet, ac se
pascendam praestante Deo non anxia credat?
Confidunt volucres victus non defore viles,
passeribusque subest modico venalibus asse
indubitata fides, dominum curare potentem,
ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Christi,
addubitas, ne te tuus unquam deserat auctor?
Ne trepidate homines: vitae dator et dator escae est.
Quaerite luciferum caelesti dogmate pastum,

neque peram neque calceamenta Math. 10, 10; Marc. 6, 8; Luc. 10, 14 (Vulg.).

614. *de — — gestamine providus,* verbum providere interdum cum *de* construitur. Cfr: de re frumentaria ut providerent, hortatus est Caes. B. C. 3, 34; est autem de Brundusio atque illa ora Italiae providendum. Cic. Phil. 11, 11. *Gestamen* (tunicae) h. l. non id quod geritur sed ipsum actum gerendi significat; cfr: gestamine sellae Tac. An. 14, 4, lecticae 2, 2. lento gestamine vilis aselli Sedul. 4, 297. Aliter infra v. 88.

615 seqq. v. Math. 6, 26; 10, 29.

alvo. Venter totus dicitur qui oculis subiectus est, alvus interior pars, qua cibus commeat, uterus autem, quo mulier baiulat partum Probus Fragm. de Nomine v. 46.

cras cogitet. Sine ex.

praestante, sc. cibum.

Deo mirum in modum dupl. sensu hic occurrit: et ablativi absoluti loco fungens et dativum agens, quem postulat verbum *credat.*

620. *subest — — fides.* Cfr: subest spes Cic. Att. 3, 25. 'modico venalibus asse'; cfr Matth. 10, 29.

621. *indubitata fides.* Cfr: indubitata spes Plin. 31, 27, 2.

622. *cura Dei,* quem Deus curat, cfr: Lynceu, tune meam potuisti . . . curam, tangere? (= amicam) Prop. 3, 34 (32), 9.

facies, i. e. imago; cfr: haec facies Troiae, cum caperetur, erat Ov. Trist. 1, 3, 26; tabulae, quae pictam belli faciem habent Plin. 35, 10, 1.

623. *addubitas, ne* sine ex. Addubitare cum dativo, cum *de* aut *in* vel cum *num, an;* hic idem valere atque *timere* videtur.

auctor, cfr: sua munera fictor et auctor Cath. 10, 135.

dator. Cfr: adsit laetitiae Bacchus dator.

625. *luciferum — pastum.* Cfr: hic (Deus) pastus animae est Cath. 4, 33; iam mihi luciferas liceat contingere Musas Tertull. Carm. de Iudic. 9.

dogmate; cfr Cath. 8, 8; nec hac calce contenti intimas scripturarum medullas bibunt, veritatem dogmatum falsi nominis scientia condemnantes Hieron. ep. 98, 2.

qui spem multiplicans alat invitiabilis[1] aevi,
corporis inmemores: memor est, qui condidit illud,
suppeditare cibos atque indiga membra fovere."
His dictis Curae emotae, Metus et Labor et Vis
et Scelus et placitae fidei Fraus inficiatrix
depulsae vertere solum. Pax inde fugatis
hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
terror et avulsis exfibulat ilia zonis.
Vestis adusque pedes descendens defluit imos,
temperat et rapidum privata modestia gressum[2].
Cornicinum curva aera silent: placabilis implet
vaginam gladius, sedato et pulvere campi
suda redit facies liquidae sine nube diei,
purpuream videas caeli clarescere lucem.
Agmina casta super vultum sensere tonantis,
adridere hilares pulso certamine turmae,

[1] inuitabilis **h** inmutabilis (corr. ex *inuiciabilis*) **Cas.** inuitiabilis **Put m o** insatiab., inuiolab. *cett.* [2] Deest hic versus in **n**.

626. *invitiabilis*, aeterni et felicis, vox est Prudentiana, sine ex.

627. *qui condidit illud*. Romanam condere gentem Verg. Aen. 1, 33; condere genus hominum Iustin. 2, 6.

628. *fovere*. Cfr: gemino fovens paratu Cath. 4, 34.

629. *His dictis Curae emotae*. Imitatio Vergilii: his dictis curae emotae pulsusque parumper | corde dolor tristi Verg. Aen. 6, 382. *Curae, Metus, Labor, Vis, Scelus, Fraus* comites erant Avaritiae.

630. *fidei Fraus inficiatrix* comes est Avaritiae, nam spe divitiarum vel metu inopiae commoti in persecutionibus multi fidem Christianam abnegabant.

633. *terror*, concreto sensu = terribile telum. Cfr Cic. Rep. 1, 47; Vellei. 2, 4.

exfibulat. fibula liberat; vox Prudentiana, sine ex.

634. *vestis adusque pedes descendens*, signum pacis, nam milites praecincti erant veste brevi, quae crura libera reliquit. De adson. cfr v. 13.

635. *rapidum — — gressum*, qualis est militum. Privati et civiles homines lentius et modestius progrediuntur.

638. *suda*, serena, innubila; cfr: caelum autem, nubilosa caligine disiecta, nudo sudoque luminis proprii splendore candebat Apul. Met. 11.

facies cum *liquidae diei* coniungi debet.

639. *purpuream*, nitidam, splendentem, coloris ratione non habita. Ita saepe *purpureus* apud poetas; cfr: purpurea candidiora nive; caelestia numina sensi | laetaque purpurea luce refulsit humus Ov. Fast. 6, 251.

640. *tonantis*, pro Dei summi, more ethnicorum; cfr: ipsum tonantis agnum Cath. 6, 81.

641. *pulso certamine*, personal. cfr: abigit bellum, vide supra v. 632.

et Christum gaudere suis victoribus arce
aetheris ac patrium famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia reddere castris
victrices aquilas atque in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit species, nec par decus ulli
militiae, cum dispositis bifida agmina longe
duceret ordinibus peditum psallente caterva[1],
ast alia de parte equitum resonantibus hymnis.
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israel rabiem ponti post terga minacis,
cum iam progrediens calcaret littora sicco
ulteriora pede stridensque per extima calcis
mons rueret pendentis aquae nigrosque relapso

[1] stipere catervas **h**

643. *famulis*, solita de christianis expressio; cfr: famulis abolere (mortem) Cath. 10, 18; famulam tibi . . . . mentem Ibid. v. 166; v. praeterea supra in Psych. v. 56.

profundum, caelum. Rara est haec significatio; cfr tamen: (stellae) neque per cunctas noctes neque tempore in omne | resplendent alto caeli summota profundo Manil. 5, 719.

644. *Dat signum* = iubet; construitur ut si *iubet* scriptum esset: *reddere* subiectum habet (duces v. t.) quod subauditur.

felix et *felicitas* speciatim de victoribus et bona fortuna militari utentibus non raro dicitur; cfr: in summo imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem Cic. Pro lege Manil. 10.

645. *victrices aquilas*, i. e. legiones; cfr: interea domitis Caesar remeabat Iberis, | victrices aquilas alium laturus in orbem Lucan. 5, 238; erat acies tredecim aquilis constituta Hirt. Bell. Hisp. 30.

646. *species*, ornamentum, decus; cfr: praebuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui servitute exempti fuerant Liv. 34, 52: ingentes ipsi erant; addebant speciem frontalia et cristae Ibid. 37, 40.

647. *bifida*, et peditum et equitum.

648. *psallente*. *Psallere* non solum instrumento musico uti significat, sed etiam, neque raro, praesertim apud scriptores christianos, simpliciter *canere* est. Cfr: Cath. 9, 22; Perist. 10, 837. Hoc loco idem atque canere ad instrumentum videtur valere. Instrumentum spectari apparet ex v. 658.

650—662. Exemplis e sacra scriptura captis longiore digressione narratis persaepe utitur Prudentius. Cfr: Cath. 1, 49—64; 2, 73—84; 3, 96—130; 4, 37—72; 5, 37—80 cett.; cfr etiam totam Praef. Psych.

653. *ulteriora*, litora trans mare iacentia.

pedĕ strid., cfr vv. 41, 902, 903.

654. *nigrosque*. Cfr: pubes decolor Cath. 5, 69 et: nigrorum satellitum ibid. v. 79 (Aegyptii et praesertim Aethiopes fusci coloris erant).

relapso gurgite. Cfr: gurgite confluo (de eadem re) Cath. 5, 76.

gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
ac refluente sinu iam redderet unda natatum
piscibus et nudas praeceps operiret arenas.
Pulsavit resono[1] modulantia tympana plectro
turba Dei celebrans mirum ac memorabile saeclis
omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
fluctibus incisis[2] et subsistente procella
crescere suspensosque globos potuisse teneri.
Sic expugnata vitiorum gente resultant
mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.
Ventum erat ad fauces portae castrensis, ubi artum
liminis introitum bifori dant cardine claustra.

[1] resonant (-ans?) h [2] illisis Cas. (ll m. 2?)

655. *Nilicolas.* Cfr: Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit Contra Symm. 2, 493.

fundo. Cfr supra v. 93.

deprenderet. Cfr supra v. 264.

656. *natatum,* aquae formam, quae natandi occasionem praebere posset, aquam continuam. Sine exemplo. (Sed *natatio* saepe hunc sensum habet; cfr: Cels. 27 n. 1. Cael. Aurel. Chron. 1, 1.)

658. *modulantia,* certis modis sonos ordinantia; cfr: (insulae) *Saliares dictae, quoniam in symphoniae cantu ad ictus modulantium pedum moventur Plin. 2, 95 (96), 3; virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt Liv. 27, 37.

659. *mirum ac memorabile.* Cfr supra ad v. 13.

omnipotentis. Cfr supra v. 302.

662. *globos.* Globus non solum de solidis, sed etiam de aëreis et liquidis dicitur; cfr: flammarumque globos liquefactaque volvere saxa Verg. G. 1, 475; globos sanguinis vomere Ov. Met. 12, 238.

663. *resultant,* sonum reddunt, personant; cfr: ubi concava pulsu | saxa sonant, vocisque offensa resultat imago Verg. G. 4, 50; inimica et echo est resultanti sono Plin. 11, 19 (21), 1; pulsati colles clamore resultant Verg. Aen. 5, 150 (8, 305).


664. *mystica,* sacra; cfr supra v. 372.

dulcimodis, vox Prudentiana, alibi non occurrens. Cfr infra *unimodis.*

psalmis. Apud latinos non vidi hanc vocem nisi in libris christianorum scriptorum. De sensu cfr v. 648 *(psallente).*

Concordia et Discordia
(vv. 665—725).

665. *fauces portae castrensis,* i. e. praetoriae, Ante introitum turris erat; itaque duae erat fauces, laeva et sinistra parte, Apparebit, qualis fuerit status portae, ex hac tabula:



Nascitur hic inopina mali lacrimabilis astu[1]
tempestas, placidae turbatrix invida Pacis:
quae tantum subita vexaret clade triumphum.
Inter confertos cuneos Concordia forte
dum stipata pedem iam tutis moenibus infert,
excipit occultum vitii latitantis ab ictu
mucronem laevo in latere, squalentia quamvis
texta catenato ferri subtemine corpus
ambirent sutis et acumen vulneris hamis
respuerent, rigidis nec fila tenacia nodis

[1] aevi h

667. *mali,* vitii; cfr supra ad v. 607.

668. *tempestas.* Cfr: alia ex alia cura fatigat, | vexatque animos nova tempestas Senec. Agam. 62; (de bello:) quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis | tempestas ierit campos Verg. Aen. 7, 223; pernicies et tempestas barathrumque macelli Hor. Epist. 1, 15, 31. Sub forma personae cogitatur (ut hic): tu procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii Cic. Dom. 53. Constat quoque Tempestatem deam esse habitam; cfr Cic. Nat. D. 3, 20; Horat. Epod. 10, 23; Ov. Fast. 6, 193.

turbatrix. Cfr: accumulat crebros turbatrix fama pavores Stat. Theb. 4, 369. Cfr praeterea quae supra ad v. et 58 dicta sunt.

670. *cuneos.* Cfr supra v. 263.

671. *stipata,* densis catervis circumdata; cfr supra ad v. 405.

672. *excipit — — mucronem.* Cfr: excipere vulnera Cic. Sext. 10; tela Ibid. Verr. 4, 72; plagam in se Lucr. 2, 809.

673. *squalentia* = squamosa, v. infra v. 680; cfr: alter erit maculis auro squalentibus ardens Verg. G. 4, 91; caeruleus maculis auro squalentibus anguis Sil. 2, 585; picti squalentia terga lacerti Verg. G. 4, 13.

674. *texta.* Cfr supra v. 127.

catenato, catenularum formam habente, nodoso, multiplici.

ferri subtemine. Subtemen proprie transversorum filorum series, sub stamine texta, est; tum autem tota tela, totum textum; cfr: fert picturatas *auri subtemine* vestes Verg. Aen. 3, 483; fulgentem Tyrio subtemine vestem | induere Tibull. 4, 1, 121; rubet Tyrio subtemine thorax Stat. Theb. 7, 656.

675. *sutis.* Huic omnino consimilem Vergilii locum observa: huic gladio perque aerea *suta,* | per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum Verg. Aen. 10, 313.

acumen vulneris. Vulnus non raro pro ipso telo stat; cfr: vulnera dirigere et calamos armare veneno Verg. Aen. 10, 140; ac simul infesto Lateranum vulnere truncae | arboris urget Sil. 5, 251. Cfr supra v. 154.

676. *respueret,* repelleret, non admitteret; cfr: tauri silvestris tergori duritia silicis omne respuens vulnus Plin. 8, 30, 3; mola, caro informis, inanima, ferri ictum et aciem respuens Ibid 7, 13, 1; philosophia quaedam tela defatigat et velut levia laxo sinu eludit: quaedam discutit et in eum usque, qui miserat, respuit Senec. Ep. 53.

impactum sinerent penetrare in viscera telum.
Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
commissura dedit, qua sese extrema politae
squama ligat tunicae sinus et sibi conserit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola victae
partis et incautis victoribus insidiata est:
nam pulsa culparum acie Discordia nostros
intrarat cuneos sociam mentita figuram.
Scissa procul palla structum et serpente flagellum
multiplici media camporum in strage iacebant,
ipsa redimitos olea frondente capillos
ostentans festis respondet laeta choreis.

678. *chalybem*. Chalybs (χάλυψ) proprie ferrum est; postea certum ferri genus, duratum scilicet et per ignem redditum (στόμωμα, "Stahl"). Cfr supra v. 143.

679. *commissura*, compages, sutura, iunctura: commissurae nodorum Senec. Benef. 5, 12; per claustrum, qua se commissura laxaverat denarios inseruit Ibid. 7, 21.

681. *pugnatrix*. Cfr: pugnatrix natio et formidanda Ammian. 23. Cfr supra ad v. 668.

victae partis, gen. part., cum *pugnatrix* coniungi debet.

684. *sociam mentita figuram*. Cfr: sani capitis mentita dolores Ov. Amor. 2, 19, 11; virgas mentita Sabacas | toxica Lucan. 9, 820.

685. *scissa palla, structum serpente flagellum multiplici*, attributa Discordiae, quibus quae Furia re vera esset, agnosci poterat. De *scissa palla* insigni Discordiae cfr: et scissa gaudens vadit Discordia palla Verg. Aen. 8, 702; de *serpentibus* cett. cfr: scisso Discordia crine | extulit ad superos Stygium caput: huius in ore | concretus sanguis confusaque lumina flebant: | stabant aerati scabra rubigine dentes, | tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora, | atque inter toto laceratam pectore vestem | sanguineam tremula quatiebat lampada dextra Petron. Sat. 124. Furiae *flagella* habent; cfr: tibi de Furiis scindet latus una flagello Ov. Ib. 185.

Pallā structum cfr supra ad. v. 41.

686. *camporum in strage*, inter cumulos caesorum hominum, armorum telorum, vestium cett. Cfr: complere strage campos Liv. 7, 24; vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis | stragibus aequavit Stilicho Claudian. Laud. Stil. 1, 231.

687. *redīmitos* vitiose pro *redĭmitos*. Exempla aliunde petita desunt. Cfr Krenkel l. l. p. 13.

olea pacis insigne et symbolum, quod vocatur, erat; cfr: paciferaeque manu ramum praetendit olivae Verg. Aen. 8, 116.

respondet. Cfr: molli tibiarum sono delicatis respondere gestibus Apul. Met. 10, 32.

688. *choreis*, carminibus, cum festo incessu et quasi saltatione coniunctis (Chorea proprie est saltatio); cfr: cantatrices choreae Claudian. B. Gild. 448; pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt Verg. Aen. 6, 644.

Sed sicam sub veste tegit, te maxima virtus,
te solam tanto e numero, Concordia, tristi
fraude petens: sed non vitalia rumpere sacri
corporis est licitum, summo tenus extima tactu
laesa cutis tenuem signavit sanguine rivum.
Exclamat virtus subito turbata: "Quid hoc est?
Quae manus hic inimica latet? Quae prospera nostra
vulnerat et ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid iuvat indomitos bello sedasse furores
et sanctum vitiis pereuntibus omne receptum,
si virtus sub pace cadit?" Trepida agmine maestos
convertere oculos, stillabat vulneris index
ferrata de veste cruor. Mox et pavor hostem
cominus adstantem prodit; nam pallor in ore

689. *te*. Vocativo utitur, ut Concordia in versum includi possit.

691. *vitalia*. Cfr supra ad v. 111.

rumpere. Cfr: viribus ensis adactus | transabiit costas et candida pectora rupit Verg. Aen. 9, 431; sagitta praecordia rumpit Ov. Met. 6, 251.

692. *summo tenus — — tactu*. Cfr: summo tenus attigit ore Verg. Aen. 1, 741; media tenus eminet alvo Ov. Fast. 2, 145.

extima. Cfr: extima membrorum circumtextura Lucr. 4, 648; novem orbes, quorum unus est extimus, qui reliquos omnes complectitur Cic. Somn. Scip. 4; promontorium Oceani extimum Plin. 5, 1, 2.

tactu, cutis interioris summa parte qua tactum sentimus. Hunc sensum nullo alio loco verbum *tactum* habere inveni.

693. *signavit sanguine rivum*. Cfr: neque adhuc de pectore caedis | effluxere notae signataque sanguine pluma est Ov. Met. 6, 670; summo vestigia pulvere signent Verg. G. 3, 171.

965. *prospera nostra*. Cfr: prospera belli Lucan. 5, 782; prospera rerum Ibid. 7, 107; tam mala Pompeii quam prospera mundus adoret Ibid. 708; Germani prosperis feroces Tac. Hist. 3, 15.

696. *vulnerat*, laedet, turbat; cfr: proprio vulneror ipsa bono Ov. Heroid. 21, 37.

697. *indomitos — — furores*. Cfr: indomitos in corde gerens Ariadna furores Catull. 64, 53.

698. *sanctum omne* i. e. omnes virtutes.

699. *sub pace* = in pace; cfr: sub somno Cels. 3, 18; sub nocte Flor. 2, 17.

700. *index — — cruor*. Cfr: auctoris annulus index Ovid. Pont. 2, 10, 3; quin continetis vocem, indicem stultitiae vestrae Cic. Rabir. perduell. 6.

702. *pallor — conscius* cfr: horror conscius Cath. 4, 23; pudor serus conscios vultus tegit Senec. Herc.

conscius audacis facti dat signa reatus,
et deprensa tremunt languens manus et color albens.
Circumstat propere strictis mucronibus omnis
virtutum legio exquirens fervente tumultu
et genus et nomen, patriam sectamque, deumque
quem colat, et missu cuiatis venerit. Illa
exsanguis turbante metu: "Discordia dicor,
cognomento Heresis; deus est mihi discolor" inquit,

Fur. 692; conscius aether Verg. Aen. 4, 167.

703. *reatus* cfr Cath. 11, 103 (irritis plangens reatum fletibus); Cath. 7, 175 (solvit reatum). Reatus ap. Prudentium semper pro ipsa culpa dicitur; cfr hoc Apuleii (Met. 7, 9): conscientiae reatum intra me sustinebo. Cfr *crimen,* quod proprie non ipsa culpa est sed accusatio culpae, tum autem culpam significare potest et seriore tempore saepius significat.

704. *deprensa* cfr supra v. 264 et 655; *tremunt* ad *color albens* minus quadrat (cfr Ovid. Ars. Am. 2, 81).

705. *circumstat propere. Propere* simili sensu et usu exstat: sed manus e castris, propere coit omnis in unum Verg. Aen. 9, 801.

706. *fervente tumultu* cfr infra v. 902.

707. *genus.* Cfr: hortamur fari quo sanguine cretus Verg. Aen. 2, 74 Τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες. Hom Od. 14, 187; cfr infra 708.

708. *missu,* missione, mandato. Cfr: qui iam ante missu Caesaris ad Ambiorigem ventitare consueverat Caes. Bell. Gall. 5, 27; Manubia venit de gente sacerdos | Archippi regis missu Verg. Aen. 7, 750.

missu cuiatis, unde oriundus sit is, cuius mandato venerit. Cfr: adi atque appella, quid velit, quid venerit, | qui sit, cuiatis, unde sit: ne parseris Plaut. Poen. 5, 2, 32; rogitat postibi, unde sit, cuiatis, captane an surrepta sit, | quo genere nata, qui parentes fuerint Plaut. Mil. prol. 109.

710. *cognomento.* Cfr: ei impositum est cognomen, vel, ut Messala ait, cognomentum, et vocari coepit Senecio Grandio. Senec. Suasor. 2. Cilicum nationes, quibus clitarum cognomentum Tac. Ann. 12, 55.

Hĕresis; de correptione primae syllabae cfr supra ad v. 371.

Vox *haeresis* iam ante christiana tempora apud Romanos scriptores usurpatur, et significat coniunctionem vel sectam, sed sine ulla vituperatione dicitur; Cfr: Cato est in ea haeresi, quae nullum sequitur florem orationis Cic. prooem Parad. Pythagorae haeresin sequi Vitruv. praef. l. 5. Haeresis navalis est conditio, functio, et professio naviculariorum Cod. Theod. 13, 6, 9 et 10.

discolor, translate; cfr: mille hominum species et rerum discolor usus Pers. 5, 52.

710—714. Variae sectarum opiniones his versibus notantur. Quos ut recte intelligamus, necesse est primum scire *Deum* hoc loco praecipue Christum esse (cfr v. 1—4, v. 889, 910). Verba *Nunc minor* cum Apoth.

"nunc minor aut maior, modo duplex et modo simplex,
cum placet, aërius et de phantasmate visus
aut innata anima est, quotiens volo ludere numen:
praeceptor Belia mihi, domus et plaga mundus" [1].
Non tulit ulterius capti blasphemia monstri
virtutum regina Fides, sed verba loquentis
impedit, et vocis claudit spiramina pilo
pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
Carpitur innumeris feralis bestia dextris

[1] In numerae sunt lectt. varr. Cfr adn. crit. Ita ut nos ed. habet Cas.

253 seqq. conferenda sunt et Arianos spectant; *aut maior* ad eandem haeresin pertinet et de Patre intelligendum est, qui secundum Arianos maior est quam Christus. *Modo duplex,* si Pater et Christus duo dei sunt, *modo simplex,* si Pater unicus est et Christus divinitatis expers. (Brockhaus verbum duplex ad dualismum gnosticorum refert, quod mihi minus recte fecisse videtur. Neque ii, qui duplex ad exlusam tertiam Divinitatis personam referunt, iuste iudicant (Nebr. Sich.); agitur enim hoc loco de Christo. *Aërius et de phantasmate visus* phantasmaticos, qui vocantur (Manichaeos cet.), demonstrat, qui humanam Christi naturam non veram sed specie sola figuratam esse sibi persuaserant). *Aut innata anima* ad Priscillianistas pertinet et alios, qui innatam Platonis animam mundi suo dogmati immiscuerant. Röslero, qui *omnia* ad Priscillianistas referenda putat adsentiri non possum.

712. *de* materiam signif. ut: verno de flore corona Tib. 2, 1, 59.

phantasmate. Cfr: si phantasma fuit Christus Tertull. adv. Marcion. 2, 7, cfr Hamart. 59.

Velim scire esse aliquid phantasmata (Gespenster) et habere propriam figuram numenque aliquod putes, an inanem et variam (*vanam) ex metu nostro imaginem accipere Plin. Ep. 27, 7.

quotiens volo ludere numen, cum volo videri credere Christum deum esse, dico eum esse innatam mundi animam (νοῦν).

714. *domus et plaga mundus.* Domicilium meum et regio, unde venio, ubi habito, mundus est.

715. *Non tulit ulterius.* Ita Ovidius: non tulit ulterius Ov. Met. 3, 487.

blasphemia. Blasphemium insolita verbi forma est (cfr Commodian. Instr. 31; Hilar. Oper. Hist. Fragm. 2, 9); vulgo blasphemia. Utrumque verbum in latino sermone sero occurrit, et apud christianos scriptores.

monstri vide supra vv. 20, 130.

717. *vocis — — spiramina.* Hic aures alius spiramina naris aduncae | amputat Lucan. 2, 183. Vide praet. vv. 421, 594.

718. *pollutam — — linguam* ore polluto Gall. 1, 5.

719. *Carpitur,* laceratur. Carpere crinem genasque Val. Flacc. 8, 7.

feralis exitiosa, letifer (feralis papilio Ov. Met. 15, 374) vel universim tristis, abominanda (feralis domus Prud. Perist. 5, 312 de carcere quia per eum ad mortem itur); illud *vitium est feralissimum et gravissimum Salvian. Gub. D. 2, 2.

frustatim sibi quisque rapit, quod spargat in auras,
quod canibus donet, corvis quod edacibus ultro
offerat, immundis caeno exhalante cloacis
quod trudat, monstris quod mandet habere marinis.
Discissum foedis animalibus omne cadaver
dividitur: ruptis Heresis perit horrida membris
726 Compositis igitur rerum morumque secundis
727 in commune bonis tranquillae plebis ad unum
727 b sensibus in tuta valli statione locatis
exstruitur media castrorum sede tribunal[1]
editiore loco, tumulus quem vertice acuto
excitat in speculam, subiecta unde omnia late

[1] Ita, ut nos edidimus, habent **Put. Cas. R** mg. E vet. lect. eras. **Ang. Bon. α m.** Ceteri interpolatos versus exhibent, aut solos aut cum veris contaminatos. Versus interpolati hi sunt:

727 a — — — — — — postquam intra tuta morari *(hoc pro 'tranquillae etc.' insertum est)*
728 contigit ac statione frui valloque foveri
729 pacificos sensus et in otia solvere curas

720. *frustatim.* Coquitur in olla, aut frustatim in patinis Plin. 20, 39, 2; per similit.: colligens me a *dispersione in qua frustatim discussus sum, dum ab uno te (Deus) aversus in multa evanui Augustin. Confess. 2, 1.

spargat, abreptum divellere corpus et undis | spargere Verg. Aen. 4, 600; invitis spargenda dabas tua membra procellis Lucan. 5, 684.

721. *immundis — — cloacis.* Cfr: immundis quaecunque vomit latrina cloacis Columella 10, 85.

722. *caeno exhalante* cum *immundis* coniungendum est, causam immunditatis ostendit.

exhalo intrans., cfr: exhalant vestes et corpore pigro, strata calent Stat. Theb. 10, 108.

723. *trudat* cum dativo; cfr: tandem ceu funus acerbum | *ingratumque suis trusere penatibus umbram Claudian. in Eutrop. 1, 130.

quod mandet habere. Prudentiana constructio sine aliis exemplis.

726. *Compositis — — bonis* i. e. cum igitur bona rerum morumque (bonae res bonique mores) ita ordinata, constituta essent, ut secunda in commune forent (ut publicae utilitati servirent).

[*intra tuta.* Cfr: in tuto loco amnis intra usurpata semper collium substiterat Plin. Paneg. 30.]

728. *foveri,* defendi; cfr: ut praesens suas res foventibus adderet animos Liv. 24, 36.

729. *sensus* animas hominum cfr: supra v. 7.

in otia solvere curas. Cfr: solvite corde metum, Teucri, secludite curas Verg. Aen. 1, 562.

731. *vertice acuto,* scopuloque infixit acuto Verg. Aen. 1, 34.

732. *excitat.* Exercitus honorarium ei tumulum excitavit Suet. Claud. 1.

liber inoffenso circumspicit aëre visus.
Hunc sincera Fides simul et Concordia, sacro
foedere iuratae Christi sub amore sorores,
conscendunt apicem: mox et sublime tribunal
par sanctum carumque sibi supereminet aequo
iure potestatis, consistunt aggere summo
conspicuae populosque iubent adstare frequentes.
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
nulla latet pars mentis iners, quae corporis ullo
intercepta sinu per conceptacula sese
degeneri languore tegat: tentoria apertis
cuncta patent velis, reserantur carbasa, ne quis
marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis exspectat contio, quidnam
victores post bella vocet Concordia princeps,
quam velit atque Fides virtutibus addere legem.

speculam. Specula de quovis summo montis vel collis cacumine dicitur: utque leo, specula cum vidit ab alta | stare procul campis meditantem proelia taurum Verg. Aen. 10, 454, praeceps aërii specula de montis in undas | Verg. Buc. 2, 59.

733. *inoffenso — — aëre,* cfr inoffensum mare: qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda | sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu Verg. Aen. 10 292; inoffensa via currere Martial. 14, 209.

741. *pars mentis.* Non sibi constat poeta cum de militibus allegorice canit; quibusdam locis militum catervae i. q. christiani populi, multitudines christianorum hominum sunt (ita ex. gr. vv. 36, 38, 509); alibi autem i. q. sensus varii mentis humanae (ita ex. gr. vv. 5, 729 et hic).

corporis ullo intercepta sinu. Apparet poetam sibi fingere mentem per totum corpus fusam, non solum in pectore vel in capite sedentem. Quae observatio non sine utilitate est ad intelligendos scriptores posteriorum antiquitatis temporum philosophos et de animo vel mente scribentes. Cfr infra ad v. 742.

742. *conceptacula.* De vi huius vocis cfr: vena est conceptaculum sanguinis, arteria est conceptaculum spiritus Gell. 18, 10. Inter *sedem* et *conceptaculum* differre docet Plinius: superbia alibi conceptaculum, sed in superciliis sedem habet Plin. 11, 51, 1.

744. *velis, reserantur carbasa.* De tabernaculo et ianuarum velis carbaseis cfr: tabernacula carbaseis intenta velis Cic. Verr. 7, 12; inter praetenta foribus vela se abdidit Suet. Claud. 10.

745. *marceat.* Cfr supra v. 316 (marcida).

obscuro — — operto. *Operto,* non *obscuro,* substantivi vice h. l. fungitur. Cfr: si in opertum Bonae deae excessisses Cic. Parad. 4; tellu-

Erumpit prima in vocem Concordia tali
adloquio: "Cumulata quidem iam gloria vobis,
o patris, o domini fidissima pignora Christi,
contigit: extincta est multo certamine saeva
barbaries, sanctae quae circumsepserat urbis
indigenas ferroque viros flammaque premebat.
Publica sed requies privatis rure foroque
constat amicitiis: scissura domestica turbat
rem populi titubatque foris, quod dissidet intus.
Ergo cavete viri, ne sit sententia discors
sensibus in nostris, ne secta exotica tectis
nascatur conflata odiis, quia fissa voluntas
confundit variis arcana biformia fibris.

ris operta subire Verg. Aen. 6, 140.

749. *Erumpit — — in vocem.* Cfr: Atys, Croesi filius, mutus ad id locorum, in vocem erupit vi timoris Solin. 1; prior in verba salutationis erupi Symm. Ep. 4, 1; exacerbatus iuvenis in iurgia patris erupit Iustin. 10, 2; vox elisa in illum sonum erumpit Quintil. 11, 3, 51; erumpere in actum (ad agendum transire) Cic. Dom. 24.

750. *cumulata.* Cfr: spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit Liv. 2, 47.

751. *pignora.* Cfr Cath. 10, 119.

753. *barbaries* i. e. paganismus, in vitiorum ante descriptorum personis propositus.

754. *ferroque — — flammaque.* Cfr: ferro flammaque agros consumere Hirt. Bell. Alex. 60.

755. *rure foroque,* et rure et in urbibus. *Forum* non raro ipsam et totam urbem significat, unde nomina illa, quae sunt 'Forum Aurelium', 'Cornelium', 'Forum Appii' cet. Cfr: oppidum Vaga, forum rerum venalium totius regni maxime celebratum Sall. Iug. 51.

756. *scissura,* translato sensu intellecta, antiquioribus ignota est vox. Sed cfr: audio scissuras (σχίσματα) esse inter vos Cor. 1, 11, 18 (Vulg.).

757. *titubatque foris, quod dissidet intus.* Cfr: omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus Nep. Eum. 9.

757. *exotica* (gr. ἐξωτικός), peregrina. Cfr: non omnes possunt olere unguenta exotica Plaut. Most. 1, 1, 41; cfr etiam Men. 2, 1, 11 (magna Graecia *exotica* vocatur). — Sectae diversae in diversis regionibus ortae erant, unde in alias terras se expandere conabantur; odium haeresium et sectarum saepe cum odio isto, in antiquitate non raro, omnium quae *peregrina* erant, cohaeret.

760. *conflata,* exorta; cfr: monstrum e contrariis naturae studiis cupiditatibusque conflatum Cic. Coel. 5; testes sive odio, sive invidia, sive gratia, sive pecunia conflati Quintil. 5, 7, 23.

fissa voluntas, sine ex.

761. *fibris,* i. e. intestinis, corde,

Quod sapimus, coniungat amor: quod vivimus, uno
conspiret studio: nil dissociabile firmum est.
Utque homini atque Deo medius intervenit I[e]sus,
qui sociat mortale Patri, ne carnea distent
spiritui aeterno, sitque ut deus unus utrumque:
sic, quidquid gerimus mentisque et corporis actu,
spiritus unimodis texat compagibus unus.
Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
pax belli exacti pretium est pretiumque pericli:
sidera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo: non munus ad aram
cum cupias offerre, probat, si turbida fratrem
mens impacati sub pectoris oderit antro:
nec si flammicomis Christi pro nomine martyr
ignibus insilias servans inamabile votum

pectore; cfr: viden' ut felicibus extis | significet placidos nuntia fibra deos Tib. 2. 1, 25; neque enim mihi cornea fibra est (corneum pectus non habeo) Pers. 1, 7.

762. *quod sapimus — — quod vivimus* cett. i. e. sapientiam, doctrinam nostram coniungat amor, omnis vita nostra uno studio conspiret.

764. *Iesus* bisyllabice legatur (Isus) necesse est. Ita etiam Apoth. 417, 502, 770, 935, 991, 1057; Psych. 797, Ditt. 101, 142. Idem occurrit apud Ennodium, Epigr. 2, 34. Declaratur ex elocutione Graecae literae η (Ἰησοῦς), iam hoc tempore ut *i* sonantis. Cfr praeterea KRENKEL, l. l. pag. 10; L. MÜLLER, De re metr. pag. 261. De metro vocis *mediūs* cfr KRENKEL l. l. p. 19.

766. *sitque ut deus unus utrumque,* ut corpus humanum et spiritus aeternus in Christo non duo diversa sint, sed unum deum efficiant.

767. *acta.* Cfr: speculator adstat desuper, | qui nos .... | actusque nostros prospicit Cath. 2, 107: mens .... (in somno) | imitata multiformes | facies sibi ipsa fingit, | per quas repente currens | tenui fruatur actu Ibid. 6, 40.

768. *unimodis,* rarissima vox; cfr: unimodam esse virtutem Apul. Dogm. Plat. 2.

769 seqq. Pacis descriptio quae sequitur paraphrasin esse puto celeberrimi Caritatis episodii in epistola ad Corinthios priore Pauli, cap. 13, exstantis; cfr inprimis indubitatam similitudinem versuum 779—781 cum Cor. 1, 13, 7.

773. *turbida,* ira commota; cfr: turbidus ira Stat. Silv. 3, 1, 39; (Ganymeden) turbida semper | Iuno videt refugitque manum nectarque recusat Ibid. 3, 5, 14.

774. *antro,* v. supra v. 6.

775. *flammicomis,* verbum ἅπαξ εἰρημένον, sed apud Iuvencum simile occurrit: taedae flammicomantes (Iuvenc. in Matth. 25 l. 4, 202).

776. *insilias,* Similem sensum semel apud Plautum deprendimus:

bile sub obliqua, pretiosam proderit I[e]su
impendisse animam: meriti quia clausula pax est.
Non inflata tumet, non invidet aemula fratri,
omnia perpetitur patiens atque omnia credit.
Nunquam laesa dolet, contra offensacula donat.
Occasum lucis venia praecurrere gestit
anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
Quisque litare Deo mactatis vult holocaustis,
offerat in primis pacem: nulla hostia Christo
dulcior, hoc solo sancta ad donaria vultum
munere convertens liquido oblectatur odore.
Sed tamen et niveis tradit Deus ipse columbis
pinnatum tenera plumarum veste colubrum
rimante ingenio docte internoscere mixtum
innocuis avibus: latet et lupus ore cruento
lacteolam mentitus ovem sub vellere molli,
cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac sese occultant Photinus et Arrius arte,
immanes feritate lupi: discrimina produnt
nostra recensque cruor, quamvis de corpore summo,
quid possit furtiva manus“.
Gemitum dedit omnis

metuo, | hodie ne maxumum in malum cruciatum insiliamus Plaut. Mil. 2, 3, 8.

servans inamabile votum, odium retinens; *inamabile votum* est voluntas quae ab amicitia et caritate abhorret. Hic sensus vocis *inamabilis* aliunde quidem non proferri potest, sed similia occurrunt in aliis adiectivis; cfr ex. gr. digla diabile discidium Cath. 3, 148.

777. *bile sub obliqua*, in pectore irato; de *obliquo* vide: Cato adversus potentes semper obliquus Flor. 4, 2.

Iesu, cfr supra v. 764.

778. *meriti — — clausula pax est* poetica versio noti illius verbi: legis summa est caritas.

779—781 cfr quae supra ad v. 769 dicta sunt.

783. Cfr Paul. Epist. Ephes. 4, 26.

784. *holocaustis*, (vox gr.), victimis, quae totae comburebantur; vox posteriorum; cfr Apoth. 587; Genes. 8, 10 (Vulg.).

788. *tradit*, docet per saecula, per generationes (columbarum).

792. Cfr Matth. 7, 15.

794. *Photinus* (Φωτεινός), Ancyranus † a. 379 (cfr Vincent. Lerin. Common. 16) *et Ar(r)ius* (Ἄρειος), notissimus ille Alexandrinus, trinitatem negabant.

795. *discrimina*, pericula.

796. *de corpore summo* sc. Concordiae.

798. *casu concussus acerbo*. Cfr: pater Aeneas casu concussus acerbo Verg. Aen. 5, 700.

virtutum populus casu concussus acerbo.
Tunc generosa Fides haec subdidit: “Imo secundis
in rebus cesset gemitus, Concordia laesa est,
sed defensa Fides: quin et Concordia sospes
germanam comitata Fidem sua vulnera ridet.
Haec mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta.
Unum opus egregio restat post bella labori,
o proceres, regni quod tandem pacifer haeres
belligeri armatae successor inermus et aulae
instituit Salomon, quoniam genitoris anheli
fumarat calido regum de sanguine dextra:
sanguine nam terso templum fundatur, et ara
ponitur auratis Christi domus ardua tectis.
Tunc Hierusalem templo illustrata quietum
suscepit iam diva Deum, circumvaga postquam
sedit marmoreis fundata altaribus arca.
Surgat et in nostris templum venerabile castris,

799. *subdidit*. Cfr Auson. Grat. Act. 23.

800. *cesset*. Cfr: nunquam meus cessabit — — furor, crescetque semper Senec. Med. 406. Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo Verg. Buc. 1, 59.

802. *comitata*, sensu activo et proprio, sed cfr v. 163, ubi sensu passivo adhibitum est.

803. *nihil — — recepta*, nihil mihi triste videtur, cum hanc recepi.

805. *pacifer*, quod ipsum Salomonis nomen hoc valet.

aulae. Cfr: rex sine tumultu et armis, omni auctoritate aulae communita regnum cum dignitate obtinuit Cic. Fam. 15, 4. Cfr Prud. Symm. 2, 767.

806. *inermus* hanc formam vocis non raro habet ipse Cicero: Fam. 11, 12; Lepid. ad Cic. Fam. 10, 34; apud Prudentium etiam *inermis* occurrit, vide Cath. 3, 154.

807. *quoniam* etc. David, quia manus eius sanguine bellorum stillabant, templi conditor fieri non potuit. Cfr Reg. 1, 5, 3 et 8, 16—19; Chron. 1, 28, 3.

807. *genitoris anheli fumarat — — dextra*. Cfr: it cruor in thalamis et anhela in pectora fumant | vulnera Val. Flacc. 2, 233.

810. *Hiĕrūsālem*, ita etiam Paulinus Nol. (Ps. 137, 33, 38, 41, alii *Hiĕrūsālem*).

Hierusalem templo illustrata Cfr: illustrant duae urbes utrinque litora Plin. 4, 18, 10.

quietum, in quiete residentem; priore tempore, dum arca circumfertur, quasi vagus fuerat.

812. *suscepit iam diva Deum* Cfr: inde omnis iam diva caro, quae concipit illum v. 76.

813. *marmoreis — — altaribus*, anachronismus, tempora Prudentii spectans, non tempora Salomonis.

omnipotens cuius sanctorum sancta revisat.
Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalanges
culparum prodest, hominis si filius arce
aetheris illapsus purgati corporis urbem
intret inornatam templi splendentis egenus?
Hactenus alternis sudatum est cominus armis.
Munia nunc agitet tacitae toga candida pacis,
Atque sacris sedem properet discincta iuventus.
Haec ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
desiluit tantique operis Concordia consors
metatura novum iacto fundamine templum,
aurea planitiem spatiis percurrit arundo
dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
ne commissuris distantibus angulus impar
argutam mutilet per dissona semetra normam.
Aurorae de parte tribus plaga lucida portis
illustrata patet, triplex aperitur ad austrum
portarum numerus, tris occidualibus offert
ianua trina fores, totiens Aquilonis ad axem
panditur alta domus: nullum illic structile saxum,
sed cava per solidum multoque forata dolatu
gemma relucenti limen complectitur arcu,
vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in postibus auro

815. *sanctorum sancta*, "*das Allerheiligste*".

817. *hominis — — filius*, Christus.

818. *illapsus*. Cfr: da, pater, augurium atque animis illabere nostris Verg. Aen. 3, 89.

821. *Munia — — agitet*. Cfr: agitare imperium Sall. Cat. 9. Munia apud alios scriptores cum *facere, sequi serrare, obire implere* construitur; nunquam, quantum vidi, cum *agitare*.

toga candida, festiva, nulla sorde praeliorum maculata. Cfr: candida cultu | Roma (quia Romani albis togis induti erant) Martial. 8, 65.

822. *sedem properet*, propere aedificet; cfr: hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur Plin. Paneg. 51.

823. *Haec ubi dicta dedit*. Cfr: haec ubi dicta decit, lacrimantem et multa volentem | dicere deseruit Verg. Aen. 2, 790.

824. *Concordia consors*, cfr v. 13.

825. *fundamine*. Cfr supra v. 274.

828. *commissuris*. Cfr supra v. 679.

832. *occidualibus*, populis occidentis.

835. *dolatu*, actu dolandi, vox Prudentiana.

nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
ambit et electos vocat in praecordia sensus,
quaque hominis natura viget, quam corpore toto
quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
cordis adit castisque colit sacraria votis:
seu pueros sol primus agat, seu fervor ephebos
incendat nimius, seu consummabilis aevi
perficiat lux plena viros, sive algida Borrae
aetas decrepitam vocet ad pia sacra senectam:
occurrit trinum quadrina ad compita nomen,
quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
parietibus distincta micant animasque colorum
viventes liquido lux evomit alta profundo:
ingens chrysolithus nativō interlitus auro,

839. *Apostolici — — senatus*, duodecim apostolorum.

840. *arcana* cfr supra, v. 761.

841. *ambit*, spiritus (qui Apocalypsin Ioanni inspiraverat cfr Apoc. 22, 17) his nominibus apostolorum suprascriptis circa templum (in quatuor portis; haec *ambit* spectat) arcana, optima mentis, electos sensus vult intelligi.

843. *quadrua vis* declaratur consequentibus: pueros . . . ephebos . . . viros . . . senectam (vv. 845—848).

845. *sol primus*, mane, initium diei (i. e. h. l. pueritia); cfr: officium cras | primo sole mihi peragendum in valle Quirini Iuvenal. 2, 132; non ille primos accipit soles locus (specus) | non ille seros Senec. Herc. Oet. 487.

846. *consummabilis*, qui hominem consummat et perficit; quem sensum non alibi habet vox; cfr: ratio in diis consummata est in nobis consummabilis Senec. Ep. 92.

847. *Borrae*. Boreas graece Βορρᾶς dici potest, unde latinę *Borras*. quae forma rarissima est; cfr: te patrem dicit plaga tota Borrae Paulin. Nolan. Carm. 17, 215.

compita. Compitum, quod proprie locus est, ubi plures viae in unum coeunt, etiam *aram* vel *arcum* significare potest, qui eiusmodi locis saepe erecti erant. H. l. *portas, introitus*.

852. *animasque colorum viventes* vere poetica expressio, celeberrimam illam sepulcri Rafaelis Sanctii inscriptionem quasi praefigurans (tabulae pictae Rafaelis sunt 'quasi spirantes').

profundo; cfr supra, v. 644.

854. *chrysolithus* (χρυσόλιθος). Hyacinthos Aethiopia mittit et chrysolithos, aureo fulgore translucentes Plin. 37, 42, 1; quosque dedit flavo lumine chrysolithos Propert. 2, 13, 44.

interlitus. Cfr: murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus Curt. 5, 1; literae lacrimis interlitae Hieron. Epist. 14 n. 1.

hinc sibi sapphirum sociaverat, inde beryllum,
distantesque nitor medius variarat honores;
hic chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
lumine vicino; nam forte cyanea propter
stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina, pingit iaspis
sardium[1] iuxta adpositum pulcherque topazon.
Has inter species smaragdina gramine verno

[1] Sardium **Put. Cas. E P R** α Sardoum 1 **T**, Sardonicem (-ium) *cett.*

655. *sapphirum.* In sapphiris aurum punctis collucet caeruleis Plin. 37, 39, 1.

857. *chalcedon hebes.* Chalcedon (χαλκηδών) vel chalcedonius lactei fere coloris gemma erat. Cfr: Chalcedonii nescio an in totum exoleverint, postquam metalla aeris ibi defecerunt, et semper tamen viles fuere minimique Plin. 37, 18, 4; dextrae armilla datur chalcedone mixta Venant. Carm. 8, 6, 269.

perfunditur ex — — lumine. Cfr: totos perfudit (*-fund-) lumine colles Lucan. 7, 545; cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur Plin. Epist. 5, 6.

hyacinthi. Hyacinthus est gemma eiusdem coloris atque flos hyacinthi (violae vernae rubentis, ad nigrum inclinantis). Cfr: trabibusque smaragdis | supposuit caesas hyacinthi rupe columnas Claudian. Nupt. Honor. et Mar. 88.

858. *cyanea propter stagna.* Propter = prope; cfr: propter aquae rivum Verg. Buc. 8, 87; Lucr. 2, 30; in pratulo propter Platonis statuam consedimus Cic. Brut. 6; Ennius cum dicit: propter stagna ubi lanigerum pecus piscibus pascit, esse paludem demonstrat cett. (Fest.) Paul. Diac. Müll. p. 59.

860—862. *sardonychen, amethystina, iaspis, sardium, topazon, smaragdina.* De *sardonyche* (sardonyx, -chis m. et f., vel sardonycha(-e), ae, -us, -i, σαρδόνυξ); cfr: sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sarda, hoc est velut carnibus ungue hominis imposito et utrinque translucido; tales esse Indicas tradunt . . . Arabicae excellunt candore circuli praelucido etc. Plin. 37, 23, 1. De *amethysto* (ἀμέθυστος), gemma purpurei coloris, et quinque eius generibus vide Plin. 37, 40, 1—4. *Amethystina pingunt sardonychen* i. e. intermixti sunt amethystini lapides sardonychi. *Iaspis* (ἴασπις) viridis coloris est; cfr: Plin. 37, 37, 4 seqq. illi stellatus iaspide fulva | ensis erat Verg. Aen. 4, 261. *Sardius* (Σάρδειος) (anceps videtur paenultima) dicta (gemma) eo quod primum reperta sit a Sardibus: haec rubrum habet colorem marmoribus praestans, sed inter gemmas vilissima Isid. Orig. 46, 8, 2; sardĭa prima loco, topaza, adiuncta smaragdus Iuvenc. Carm. in Exod. 4456. *Topazus* vel-*os*, vel (vulgo) *topazius(-ios), topazium(-ion)* (τοπάζιον), gemma viridis pretiosissima; cfr: Plin. 37, 32, 4 seqq. Sardius et topazos coniunctae occurrunt etiam

prata virent volvitque vagos lux herbida fluctus:
te quoque conspicuum structura interserit ardens,
chrysoprase, et sidus saxis stellantibus addit.
Stridebat gravidis funalis machina vinclis
immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
crystalli algentis vitrea de rupe recisis
construitur, quarum tegit edita calculus albens
in conum caesus capita et sinuamine subter
subductus conchae in speciem, quod mille talentis
margaritum ingens opibusque et censibus hastae
addictis animosa Fides mercata pararat.
Hoc residet solio pollens Sapientia et omne
consilium regni celsa disponit ab aula,
tutandique hominis leges sub corde retractat.

Exod. 28, 47 vulg. (lapis sardius et topazius). De *smaragdo* ((σ)μάραγδος) gemma viridi cfr Plin. 37, 46. 4.

lux herbida, i. e. viridis; cfr: herbidus color Plin. 12, 30, 4.

865. *chrysoprase* (χρυσόπρασος). Viridantium et alia plura sunt genera . . . . Praefertur his chrysoprasus, porri succum et ipsa referens, sed haec paulum declinans a tapazio in aurum Plin. 37, 34, 4.

866. *funalis machina,* machina funibus apta, qua e solo in sublime ('alta ad fastigia') lapides trahuntur.

867. *rapiens,* celeriter subvehens.

868. *At domus interior.* Cfr: at domus interior regali splendida luxu Verg. Aen. 1637.

869. *algentis.* Putabant antiqui crystallum (κρύσταλλος a κρύος, frigus) e suco quodam exortum esse, qui frigoribus in formam glaciei cesserat; cfr: crystallus . . . . non aliunde certe reperitur, quam ubi maxime hibernae nives rigent: glaciemque esse certum est: unde et nomen Graeci dederunt Plin. 37, 9, 1.

870. Describitur caput notum columnae doricae.

871. *sinuamine.* Sub abaco lapidem, qui columnam doricam tegit, sinuatum esse constat.

subter. Cfr: supra ad v. 94.

Conum Caesus Capita, Sinuamine Subter | Subductus. Cfr supra ad v. 13 et Praef. Psych. 36—37.

872. *conchae in speciem.* Clarius hoc intelligemus, si picturas in capitibus columnarum doricarum factas, Olympiis praesertim servatas inspexerimus: rectissime in modum conchae figuratas dicit poeta.

873. *margaritum.* Cfr: Matth. 13, 44 sqq.

op. et censibus hastae addictis. Vir, qui margaritam pretiosam mercatus est, ut pretium eius dare posset, omnes opes suas ante vendiderat; v. Matth. l. c.

877. *leges,* conditiones, modos.

In manibus dominae sceptrum, non arte politum,
sed ligno vivum viridi est, quod stirpe recisum,
quamvis nullus alat terreni caespitis humor,
fronde tamen viret incolumi, tum sanguine tinctis
intertexta rosis candentia lilia miscet,
nescia marcenti florem submittere collo.
Huius forma fuit sceptri gestamen Aaron
floriferum, sicco quod germen cortice trudens
explicuit tenerum spe pubescente decorum,
inque novos subito tumuit virga arida fetus.
   Reddimus aeternas, indulgentissime doctor,
grates, Christe, tibi meritosque sacramus honores
ore pio, nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti
luctantisque animae voluisti agnoscere casus.
Novimus, ancipites nebuloso in pectore sensus
sudare alternis conflictibus et variato

Cum *tutandi hominis leges* cfr: lex aquae tuendae Inscr. Henzen suppl. Orelli 6428.

sub corde (i. e. imo, intimo corde) *retractat.* Cfr: mecumque deae memorata retracto Ov. Met. 7, 714.

879. ***vivum viridi,*** cfr v. 13.

883. *nescia submittere.* Cfr: secura quies et nescia fallere vita Verg. G. 2, 465. Cfr supra v. 143.

884. Sensus est huiusmodi: Figura prophetica vel imago praefigurata *(forma)* huius sceptri fuit id quod gessit Aaron (*gestamen Aaron* [genit.]). *Gestamen* est, quidquid manu geritur, ut clipeus, ut sceptrum; cfr: clipeum magni gestamen Abantis Verg. Aen. 3, 286. De vocibus in *-men* Prudentianis vide supra ad. v. 176.

Conclusio. Gratiarum actio (vv. 888—915).

888. *doctor.* Cfr Cath. 8.

889. *meritosque sacramus honores.* Cfr: meritos aris mactavit honores Verg. Aen. 3, 118.

Cum *sacramus honores* cfr: *sacramus hymnos* Cath. 4, 75.

891. *operti* i. e. operimenti, nam corpus est tegumentum animae. *Opertum* nullo alio loco hunc sensum habere vidi. Cfr v. 268.

892. *voluisti agnoscere.* Christus totam hanc pugnae rationem ipse nobis docuisse fingitur; cfr v. 1 seqq. (Christe — — dissere cett.).

893. *ancipites.* (Homo) anceps est, huc illucque fluctuans ac dubius, *an* illud *capiat* (obs. inde *anceps,* iudice Isid.), et in quam partem declinet anxius Isid. Orig. 10, 11.

894. *variato,* vario. Cfr: eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam

pugnarum eventu, nunc indole crescere dextra,
nunc inclinatis virtutibus[1] ad iuga vitae
deteriora trahi seseque addicere noxis
turpibus et propriae iacturam ferre salutis.
O quotiens animam vitiorum peste repulsa
sensimus incaluisse Deo, quotiens tepefactum
caeleste ingenium post gaudia candida taetro
cessisse stomacho! Fervent bella horrida, fervent
ossibus inclusa fremit et discordibus armis
non simplex natura hominis: nam viscera limo
effigiata premunt animum. Contra ille sereno
editus adflatu nigrantis carcere cordis
aestuat et sordes arta inter vincla recusat.
Spiritibus pugnant variis lux atque tenebrae
distantesque animat duplex substantia vires,

[1] virtutibus **E P W** (supra) **Put. g h l** *Iso* cervicibus *cett. codd.*

sapientissimae deae sententia liberatum Cic. Mil. 3.

896. *iuga vitae deteriora,* servitutem corporis et vitae terrenae turpem; cfr: eripe turpi colla iugo Hor. Sat. 2, 7, 91.

900. *incaluisse Deo.* Imitatio Ovidii: fatidicos concepit mente furores | incaluitquè Deo Ov. Met. 2, 600.

tepefactum — — ingenium. Nescio quem sensi corde tepente Deum Ov. Her. 11, 26 virgines tepebunt Hor. Carm. 1, 4, 20. De amoris calore hoc verbum dici solet; hic translato sensu de amore divino.

post gaudia candida, quibus contraria sunt gaudia amoris terreni. Cfr: candidus pudica Cath. 4, 16.

902. *fervent bella.* Cfr: fervet opus Verg. G. 4, 169 (Aen. 1, 436).

bella horrida. Cfr. horrida praelia Verg. G. 2, 282. horrida *castra* Verg. Buc. 10, 23.

902—903. *Cessissē* ***st****om.* et *inclusā* ***fr****emit.* De metro vide supra v. 41.

904. *non simplex* = duplex, et caelestis et terrena.

905. *effigiata.* Cfr: hominem .... effigiasti Cath. 10, 4. Apud ceteros scriptores de fingendis (ab artificibus) imaginibus dicitur.

sereno, i. e. sereni Dei. Serenus epitheton est Dei et apud antiquiores Iovis. Cfr: Martial. 5, 6 et 9, 25.

906. *adflatu.* Cfr: vade, homo, ... adflatu nostri praenobilis oris Hamart. 698; intactam thalami virtus divina puellam | sincero *adflatu (sive *flatu* secundum alios codd.) per viscera casta Apoth. 569.

907. *Aestuat. Aestuare* de igne dicitur: ignis aestuat, i. e. flagrat vehementius: aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis Verg. G. 4, 263. Sine dubio per similitudinem ignis animus etiam hoc loco aestuare dicitur. Animus a Prudentio persaepe

donec praesidio Christus deus adsit et omnes
virtutum gemmas componat sede piata;
atque, ubi peccatum regnaverat, aurea templi
atria constituens texat spectamine morum
ornamenta animae, quibus oblectata decoro
aeternum solio dives Sapientia regnet.

EXPLICIT. LIB. PSYCHOMACHIAE.

cum igne confertur. Cfr Cath. 5, 12; 10, 29.

sordes proprie lutum, caenum est, h. l. igitur corpus terrenum; translate paupertas, plebeium genus (cfr *nobiliora* de animo et caelestibus v. 81).

recusat. Cfr: at si generis memor ignis | contagia pigra recuset Cath. 10, 29; more nec indomiti frena recusat equi Ov. Trist. 5, 4, 16.

distantes — — substantia. Si enim divina substantia, longe distantior atque *incomporabili diversite sublimior Augustin. De pecc. 1.

910. *donec* semper cum coniunctivo apud Prudentium constru-ctur.

911. *sede piata,* cfr *sede pia.* Cath. 3, 122; urbe piata Perist. 4, 68.

912. *peccatum* iam ab antiquioribus eodem fere sensu capitur quam a scriptoribus Christianis; cfr: peccatum est patriam prodere, Parentes violare, fana depeculari, cet. Cic. De fin. 3, 9. peccatum suum confiteri Cic. Nat. Deor. 2, 4. luant peccata Verg. Aen. 10, 32.

913. *spectamine,* proba, experimento: cfr: spectamen bono servo est . . . . | ut absente hero rem heri diligenter | tutetur Plaut. Men. 5, 6, 1.

texat. . . . . animae i. e. moribus tentandis et perficiendis ornamenta, animae efficiat. De verbis in *-amen* exeuntibus cfr supra v. 176.

914. *decoro — — solio.* Ornamenta, quae texuerat Christus (virtutes) quasi vestem solii efficiunt.

aeternum licet ingens ianitor antro | aeternum laterans exsangius (*-es) terrant umbras Verg. Aen. 6, 400.

915. *Sapientis.* Cfr Prov. 9, 1. (Sapientia aedificavit sibi domum). Cfr: C.. fervens habitavit in istis Sapientia principe Christo Cath. 10, 131.

dives; cfr supra *divite regno* v. 202.